Deus & Rex:

SIVE

DIALOGVS, QVO demonſtratur Sereniſsimum D. *noſtrum* IACOBVM *Regem im-*mediatè ſub DEO conſtitutum in Regnis ſuis, iuſtiſſimè ſibi vendicare quicquid in Iuramento Fidelitatis requiritur.

LONDINI,
Excuſum cum ſpeciali Regiæ Maieſtatis priuilegio & mandato. 1615.

COLLOQVII
hujus Summa.

PRimò *explicantur rationes & primarius ſcopus ſacramenti fidelitatis, à pag:* 1. *vſque ad pag.* 18.

Deinde ſumma capita necnon membra iuramenti fidelitatis, à pag: 18. *ad pag:* 21.

Tertiò, præcipua fundamenta iuramenti fidelitatis proponuntur & confirmantur: viz.

Primò, quod ſereniſsimus

Dominus noſter Rex IACOBVS neminem habet citra Deum priorem aut ſuperiorem cui immediatè ſubditus ſit intra dominia & principatus ſuos: *à pag:* 21. *ad pag:* 46.

Secundò, quod vinculum fidelitatis illi, vtpote ſupremo eorum domino, à ſubditis præſtandum, inviolabile permanet, nec poſsit vllo modo diſrumpi: *à pag:* 46. *ad pag:* 66.

Deus & Rex:

SIVE,

Dialogus, quo demonstratur, *Serenissimum D. nostrum* IACOBVM Regem, immediatè sub Deo constitutum in Regnis suis, iustissimè sibi vendicare quicquid in iuramento fidelitatis requiritur.

THEODIDACTVS.

SAlue, mî PHILALETHE! Quid hoc turbarum est, quod fronte præfers? Nam & vultus ille tuus, & gestus, quem intueor, animum plus satis occupatum indicant. Licétne istius sollicitudinis causam scisciari?

PHILA-

PHILALETHES. *Audiui equidem Parochum noſtrum, inter veſpertina huius diei officia, quintum illud præceptum, de* [a] honorando Patre ac Matre, *Catecheticè, vt ſolet, enarrantem: Is verò inter cætera & illud docuit, ſacroſanctis hiſce & auguſtis Patris Matriſq; nominibus, non parentes modò, à quibus ſpiritum hunc vitamq; traximus, ſed & Magiſtratus omnes, præſertim verò eos, quibus ſupremæ in terris poteſtas à Deo demandata eſt, Reges dico & Principes, indigitari.*

a Exod: 20.

THEODIDACTVS. Hoccinè ergo tam novum fuit, aut peregrinum, vt tibi ſcrupulum aliquem inijceret audienti?

PHILALETHES. *Nihil minus! Eius enim rei veritatem ipſe quidem iam olim ſatis exploratam habeo, tùm ſcripturâ dictante, tum etiam ſuffragante ratione. Scriptura certè Reges & Principes, ſollenni quodam vocabulo,* [b] Eccleſiæ Nutritios *appellat: ex quo ſequitur, eoſdem Reipublicæ Nutritios eſſe oportere, quandoquidem hæ duæ tam arctò inter ſe nexu colligatæ ſunt, vt altera ab alterius ſalute & incolumitate pendere quodammodò videatur.*

b Eſai: 49.

Iam & illud ſuadet ratio; longè maius ſanctiuſq; officij vinculum inter liberos, patreſq; patria, quàm priuatos quoſcumq; Patres-familiàs intercedere. Hi enim, quàm maximè ſunt diligentes, id tantùm agunt, vt pecorum bono proſpiciant;

ant; ac ne id quidem possunt, absq; illorum ope & tutelâ, qui, totius Reipub. veluti curâ susceptâ, infinitas propemodùm alunt familias, perq; amplissima regna & regiones, vt honestè, commodè, securèq; sub ipsorum imperio viui possit, efficiunt.

Quùm itaque tam firmus sit, ac necessarius subditorum erga Principes officij nexus, & obligatio; mihi modò subijt meditari seriò, vel potiùs non sine stupore mirari, quî fieri posset, vt homines nonnulli, humanitate ipsâ penitùs exutâ, spretoq; officio, quod ab ipsa naturâ primitùs impressum, tot insuper nominibus debebatur, eò Serenissimam Regiam Maiestatem adigerent, vt de subditorum suorum fide & obedientiâ, nisi per iuramentum sollenne, securus esse non posset.

THEODIDACTVS. Dandum hoc quidem est communi hominum vitio, morboq; naturæ; ex quo fit, vt & ambitiosos *Korachos*, flabella seditionis, & inquietos *Shebahos*, perduellionis duces & signiferos, quocunque in populo, quocunque sub axe, facilè reperias.

PHILALETHES. *Fieri id quidem potest ex nouâ aliquâ Magistratuum tyrannide, plus æquo sæuientium in subditos, ac veluti crabrones vltrò irritantium.*

THEODIDACTVS. Immò verò, frequentiùs videas homines, vel sola ambitione

actos, & cupidine; vel etiam cœcâ quâdam zeli intemperie, tanquam œstro percitos; vel eo denique, qui ex vtrâque nascitur (vbi per vim legum repulsam tulerint) liuore & maleuolentiâ adductos, aduersus optimos pientissimosque Principes seditionem concitâsse; ijsque, pessimo ingratitudinis exemplo, tum potissimùm insidias struxisse, quum ipsorum fauore maximè propitio & secundo vterentur.

Quis vnquam inter Principes *Dauide* mitior extitit, aut moderatior? Credideris hominem ad illius cor & voluntatem verè formatum, qui misericordiæ Deus est, & manſuetudinis! Et tamen repertus est [c] *vir nequam, Shebah filius Bichri,* qui aduersus illum insurgeret, seditionique ac schismati facem præferret, ad Regem innocentissimum, si fieri posset, solio deturbandum.

Sed & *Augustus* ille, pacis studiosissimus Imperator, cuius virtutes non minùs exteri quàm sui admirati sunt, [d] deciès coniuratorum impetum passus esse dicitur. *Vespasianus*, ex clementiâ totus factus atque compositus, machinationes hominum nefariorum propè [e] *assiduas* expertus est. Nec eius filio *Tito*, qui incredibili suâ virtute, ac morum suauitate, [f] *amor & delicia generis humani*, meruerat appellari, Coniurator defuit

c 2. Sam.

d Sueton. cap. 19.

e Suet. cap. 25.

f Suet. cap. 1.

Cacinna,

[g] *Cæcinna*, ſuo ipſius chirographo, vti fertur, deprehenſus.

Sed vt vetera iſta ac peregrina mittamus, ad eaque veniamus, quæ quantò propiùs abſunt ab oculis, tantò fortiùs plerunque influunt in animos ſenſuſque noſtros; quis ſingularem illam Regiæ Maieſtatis clementiam, quâ, cum feliciſſimis auſpicijs huius regni ſceptrum capeſſeret, homines religionis & ſectæ pontificiæ promiſcuè complexus eſt, non ſummæ habuit admirationi? præſertim ſi in memoriam reuocârit, quantâ illi perfidiâ, quibuſque machinis priùs vſi fuiſſent in *Elizabetham* beatiſſimæ memoriæ Reginam; idque non aliâ, vt videri volebant, quàm ſuperſtitionis ſuæ promouendæ causâ, cui non minùs ipſe, quàm illa, conſtantem & apertum ſeſe iamdiu vouerat aduerſarium.

Initio quidem regni ſereniſſimæ Reginæ *Elizabethæ*, [h] *plerique* eorum, qui ſe Romanæ ſuperſtitioni addixerant, eàdem, quâ nos, vſi liturgiâ publicâ, non modò ab omni ſupplicio ac vexatione immunes vixerunt, verum etiam paria cum cæteris Maieſtatis ſuæ ſubditis fideliſſimis priuilegia & beneficia ſortiti ſunt. Cuius rei quum Pontificem certiorem feciſſent ignei quidam & furioſi Papiſtæ, ſignificantes eo demùm fore,

g *Suet. cap. 6.*

h *Apolog. Eccleſi. aſſ. Hierarch. ca. 3.*

vt ipsius sequaces Ecclesiæ nostræ se pauiatim totos adiungerent; atque ita spes omnis intercideretur, hoc regnum ad ditionem suam & imperium per factiones domesticas reuocandi; è quo tamen maiores sui tot, tam ingentes pecuniæ thesauros olim corraserant: *Pius Quintus*, vt huic tanto discrimini, quod Romanæ sedi imminebat, tempestiuè occurreret, adeoque seruos suos & mancipia, à reliquis Maiestatis suæ subditis fidelibus, ac deuotis, perpetuo quodam & aperto schismate diuelleret; *Moretonum* quendam, sacrificulum Anglicanum, eo fine submisit, vt *Northumbriæ Westmerlandiæq;* Comitibus, quorum clientelæ permagni tum Pontificiorum greges in boreali huius regni parte innitebantur, auctoritate plenâ ac Papali denunciaret; * *Elizabetham* Reginam *hæreticam esse* (ipsosque propterea nullam cum ea in rebus ciuilibus, nedum sacris commercium habere oportere) quod *ob eam causam omni dominio & potestate excidisset: nec eos illius legibus aut mandatis deinceps obedire cogi.*

Ann. D. 1569. 11. ELIZ.

* *Sand. lib. 7. de visib. Monarch.*

His illi hortatibus accensi, exercitum quatèr [i] millenûm peditum, sexcentorumque equitum conflârunt, ad tuendam conscientiæ suæ libertatem, religionisque statum immutandum: sparso interim in vulgus sermone,

i *Stow in Annal. 12. Elizabeth.*

mone, *se ad id negotij suscipiendum necessitate quâdam compulsos, ne fortè Principes exteri, quorum minùs interesset, maiore cum periculo Reipub. idem facere tentarent.* Veruntamen hisce copijs non ita multò pòst ad deditionem coacti, pauciſque admodum coniurationis principibus extremo ſupplicio mulctatis, cæteri Pontificiæ religionis viri, qui turbis illis ciuilibus neutiquam ſeſe immiſcuerant, ſingulari Maieſtatis ſuæ bonitate & clementiâ, priſtinam libertatem ſartam, illæſamque retinuerunt.

At *Pij Quinti* animum efferatum nec Reginæ benignitas flexit, nec coniuratorum ſuorum fregit infortunium. Intellecto quippe, conatus ſuos non aliam ob cauſam ſperato effectu caruiſſe, quàm [k] *quia Catholici omnes nondum probè cognouerant Elizabetham hæreticam declaratam esse*, haud ita multò poſt bullam quandam evulgauit, in quâ *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declarauit prædictam Elizabetham hæreticam, & hæreticorum fotricem; eiq; adhærentes anathematis ſententiam incurriſſe: Quinetiam Regni iure, necnon omni & quocunque dominio, dignitate, priuilegioque priuatam: Itemq; proceres, ſubditos, & populos dicti regni, ac cæteros omnes, qui illi quomodocunq; iurauerant, ad iuramenta huiuſmodi, ac omni prorſus dominij, fidelitatis, & obſequij debito*

k *Sander. lib. 7. de viſib. Monarch.*

Ann. D. 1570. 12. ELIZ.

perpetuo absolutos : præcipiens, & interdicens, vniuersis, & singulis proceribus, subditis, populis, ne eius mandatis & legibus auderent obedire sub pœnâ anathematis. Hanc bullam quo & latius Romanæ factionis hominibus innotesceret, & fidem apud eos indubitatam mereretur, *Romæ* imprimendam curauit, firmatam chirographo Notarij publici, sigilloque ipsius curiæ munitam : ea verò demùm in *Angliam* transmissa, à *Feltono* quodam, homine Romanæ superstitioni miserè addicto, portæ Episcopalis Palatij *Londini* affixa est.

Et quanquam ista anathematum fulmina à *Pio Quinto* iactata, facta sunt * *vt sonitus spinarum ardentium sub ollâ*, & instar vaporis aut fumi euanuerunt ; *Gregorius* tamen XIII. qui *Pio* isti in Pontificatu proximè successit, eandem hanc bullam denuò confirmauit ; *Collegium alterum *Romæ* fundauit, alterum *Duaci* auxit mercede ac stipe annuâ, vt tenebrionibus transfugisque *Anglicanis* receptaculo essent, vbi primùm seditiosâ quâdam theologiâ imbuti (id quod testantur scripta celeberrimorum illius sectæ oraculorum, [m] *Bristoi* & *Alleni*) posteà in hoc regnum clanculùm submitterentur ; atque isthîc homines docerent, bullis censurisque papalibus obtemperandum esse, renun-

* Ecclesiastes 7.8

* Anno 1578. 14. ELIZ.

m *Vide Bristoi motiu. 15.40. & Allen. Defens. Angl. Catholic. 4.*

renunciandum fidei ſuæ & officio erga ſupremam Maieſtatem, & cuicunque demùm poteſtati ſiue exteræ, ſiue domeſticæ, quæ ad Reginam ſolio pellendam concitari poſſet, opem ſedulò ferendam.

Horum transfugarum principes & coryphæi fuerunt *Campianus*, & *Parſonius*, Ieſuitæ; qui *Gregorij* XIII. iuſſu & auſpicijs reuerſuri in hoc regnum, ab eo priùs impetrârunt, vt *Pij Quinti* bulla prædicta, quam & ipſe confirmauerat, in eum ſenſum exponeretur, [n] *acſi Reginam quidem & Hæreticos obligaret; nequaquam verò Catholicos, rebus ſic ſtantibus; ſed tum demùm quum facultas haberi poſſet eam publicè exequendi.* His itaque artibus inſtructi traiecerunt in *Angliam*; eodemque tempore *Sanderus* in *Hiberniam*, cum exercitu à Pontifice miſſo, ad ſuppetias rebelli *Deſmontio* ferendas. Et quemadmodum *Sanderus*, vi, & armis hominum corpora ſubigere conatus eſt; ita illi viciſſim argumentorum technis & laqueis animas irretire: neque dolo ſucceſſus defuit: plerique enim ipſorum fraude inducti non ſolùm Eccleſiæ noſtræ cœtibuſque publicis valedixerunt, ſed etiam ciuili quam Principi debebant obedientiæ penitus renunciârunt.

n *Huius interpretationis inſtrumenta nonnulla apud Papiſtas deprehenſa.*

1580.

Cùm itaque, per clandeſtinas haſce Ieſuitarum,

tarum, sacrificulorumque molitiones, magis magisque indiès Maiestatis suæ subditi à vero Dei cultu dilaberentur; neque eo contenti, à fide etiam & obedientiâ ciuili perfidiosè desciscerent: quæ tamen erat Maiestatis Regiæ benignitas, & moderatio, eorum nemini propterea vitam, hæreditatem, libertatemvè imminutam voluit; sed tantum ex decreto *Parliamenti* mulctam quandam pecuniariam ijs irrogauit, quamdiù sacris conuentibus interesse recusarent: edictumque insuper promulgauit, *de fugitiuis in patriam reuocandis, qui pratextu studij in locis transmarinis degentes, nihil aliud quàm pestem patriæ & perniciem meditabantur.*

Ann. D. 1581. 24. Reg. Eliz.

Veruntamen isti scelerum artifices, reiq; publicæ faces, & furiæ, necquicquam hâc ratione comprimi aut sedari potuerunt: quin potiùs creuerunt indies, eóque tandem impietatis & audaciæ prouecti sunt, vt profligatos quosdam homunciones, *Ardennum*, * *Parreium*, alioſque eiusdem monetæ filios *Belial*, spe & pollicitatione salutis æternæ conduxerint, ad vim sacratissimo Principis capiti inferendam; Regique *Hispaniæ* (qui iam tum nostris ceruicibus imminebat) auctores extiterint, irrumpendi in hoc regnum; adiectâ spe certâ, fore è nostratibus Papistis, qui se illius partibus illicò adiungerent,

* 1582. 25. Eliz.

1583. 26. Eliz.

iungerent, copijsque, quas ipse huc suis nauibus apportâsset, cum auxilio præstò adessent.

Atque hæ quidem plusquam immanes & barbaræ Iesuitarum fugitiuorumque sacerdotum machinationes, pietatis & zeli fuco obtectæ, à Sereniſſimâ illâ Maiestate, post tot annorum tam stupendam patientiam, vix aliquando extorserunt illud *Parliamenti* decretum ; *quòd si qui Iesuitæ, aut Sacerdotes alij in locis transmarinis Romano ritu initiati, ad hoc regnum denuò accederent, vt proditorum loco haberentur, & vt læsæ Maiestatis rei extremo supplicio afficerentur.* 1584. 27. Eliz.

Iam nec ista seditionum monstra, à Papistis, eorumque principibus, Iesuitis, & Sacerdotibus, peruerso Romanæ idololatriæ reuocandæ zelo conflata, sapientissimum Regem *Iacobum* latuerunt ; & idem etiam probè intellexit, quanto iure & merito consultissima, quæ ipsi præcesserat, Regina prædictas leges sanxisset, ad eorundem conatus in posterum reprimendos. Itaq; cùm & ipsi primo huius Regni ingressu, ex animi sui iudicio grauissimo, constantique fide veritatis, certum, deliberatumque esset, beatissimę Sororis suę vestigijs inhærere, quantumque homini fas erat, Papismi tenebras plusquam Ægyptiacas purâ Euangelij luce

dispellere; fieri non potuit, quin pro Regiâ illâ, quâ pollet, ingenij sagacitate, & prudentiâ, facilè conijceret, in se suumque caput ac dignitatem ab eiusdem factionis hominibus similia posse tentari. Veruntamen is, quem natura iam olim ad humanitatem finxerat & misericordiam, ratus illud maximè sibi laudi fore, si * *malum bono vinceret*, quod suadet Apostolus: Initio statim regni, Iesuitas, Sacerdotesque omnes, qui tum vinculis detinebantur, liberauit: post, ijs qui in obscuris regni angulis hîc illic delitescebant, potestatem fecit, vt, qui essent, palàm absque periculo faterentur, dummodò ad statutum diem regno excederent: Cæteris verò Papistis, qui communionem nostram in rebus sacris detrectabant, quicquid pecuniæ eo nomine per leges debebatur, vltrò remisit; pleroscque eorum equestri dignitate auxit, liberrimo in aulam suam aditu & alloquio dignatus est, paribusque omninò tùm honoribus tùm beneficijs cumulauit, atque illos, à quibus religione ac fide longissimè dissidebant. Hoccinè fuit in homines afflictos & prostratos crudelitèr sæuire, aut nouâ aliquâ & inauditâ Tyrannide ad defectionem cogere?

o Rom. 12. 1603.

PHILALETHES. *Ego verò nihil hîc minùs quàm tyrannidem video: nam ista potiùs illorum*

illorum animos pellicere debuerunt, vt fidem illius Maiestati firmam ac solidam præstarent, qui ita legum minas, & vindictam ipsorum scelere meritissimam, in pietatem misericordiamq́, prorsus indebitam commutauerat.

THEODIDACTVS. Est quidem, fateor, [p] *clementia Regis quasi imber serotinus*; plurimúmque interdum valet ad hominum animos, quantumuis alioqui duros, & agrestes, emolliendos. Verùm ea fuit *Romanensium* quorundam feritas, & rabies plusquam canina, vt illo ipso tempore, quo singulari hâc Regiæ Maiestatis gratiâ vberrimè fruebantur, coniurationem inierint, nouitate miram, crudelitate barbaram, exemplo inauditam; quâ Regem ipsum, Reginamque, & stirpem regiam, cum vniuersis Regni ordinibus, in amplissimâ *Parliamenti* domo congregatis, vno ictu pulueris tormentarij corriperent, & horrendo quodam internecionis genere, in minutissima frusta discerperent.

[p] Prou. 16. 15.

PHILALETHES. *Nullamnè istius sceleris autores prosligatissimi, incepti sui rationem aut causam attulerunt?*

THEODIDACTVS. Nullam planè, præter furiosum & fanaticum Romanæ religionis propagandæ zelum; quo quidem insanire eos omnes qui superstitioni illi

quoquo modo addicti sunt, non est charitatis suspicari: & est tamen prudentiæ vereri, ne teneantur adhuc nonnulli, damnatis hisce superstites. Vt itaque inter hos & illos probè distingueretur; iuramentum illud fidelitatis (ex quo initium sumpsit hæc nostra disceptatio) præcipuè excogitatum est.

PHILALETHES. *At qui eò impietatis prolapsi sunt, vt* manum in Christum Domini immittere *non vereantur, ijdem forsan horrendum periurij crimen parum aut nihil morabuntur; ideoq; mihi videtur isthuc iuramentum ad seditionis authores detegendos non admodum profuturum.*

THEODIDACTVS. Immò verò, iuramentum sanctissimum vinculi genus est; quod arcanâ quadam religione, & metu diuinitùs incusso, ipsa hominum corda, sensusque intimos tam arctè obstringit; vt plerique hominum, tametsi ad cætera flagitia duri & obstirmati, in eo tamen violando summoperè concutiantur & exhorrescunt. *Sæpissimè* (inquit [q] *Augustinus*) *homines, de quarum adulterio suspicantur, ad iusiurandum prouocant coniuges suas: quod vtiq; non facerent, nisi crederent etiam illas, quæ non timuerunt adulterium, timere posse periurium: Quia & reuerâ nonnullæ impudicæ, quæ non timuerunt illicito concubitu viros suos fallere, ijsdem viris, quos*

q *Contra mendac. ad Consent cap.* 21.

quos fefellerunt, timuerunt Deum teſtem fallacitèr adhibere. Iam iſta, quæ vxori cum marito eſt, nuptialis copula, ſiguram quandam habet expreſſamque imaginem illius coniunctionis, quæ ſubditis cum Principe, quoad fidem obedientiamque ciuilem, intercedit: Nimirùm vtraque arctiſſimâ quadam vnione conſtat, peneque indiuiduâ; & vt hinc [r] vir vxoris, ita illinc [r] Princeps ſubditorum caput meritiſſimè appellatur. Sicut igitur *Auguſtini* temporibus, res ipſa docuit, vxores nonnullas periurium in Deum, plùs quàm fraudem & perfidiam in maritos, exhorruiſſe; ita nunc eos, qui fidem Principi datam fallere pro nihilo habent, tamen ipſo peierandi metu aliquantulùm commoueri poſſe cenſendum eſt.

[r] 1 Cor. 11. 3.
[s] 1 Sam 15. 17.

PHILALETHES. *Vllumnè extat ſuperiorum atatum memoriâ exemplum conſimilis iuramenti ad fidem ſubditorum erga Principem explorandam comparati?*

THEODIDACTVS. Eiuſdem prorſus ſententiæ iuramentum ante annos mille in *Hiſpaniâ* vſurpatum eſt, variiſque celeberrimorum conciliorum decretis *Toleti* confirmatum. *Quum enim [t] multarum gentium, vt fama erat, tanta extaret perfidia animorum, vt fidelitatem ſacramento promiſſam Regibus obſeruare contemnerent, & ore ſimularent iuramenti*

[t] *Concil. Toletan. 4 can. 74.*

professionem (en ipsos æquivocantes Iesuitas!) *dum retinerent mente perfidiæ impietatem:* Statuit quarta Synodus *Toletana* (id quod in alijs ibidem habitis [u] concilijs posteà repetitum est) vt [x] *Quicunq; ex ipsis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione vel studio sacramentum fidei suæ quod pro patriæ gentisq; statu vel conseruatione Regis salutis pollicitus est, temeraret, aut Regem nece attrectaret, aut potestate regni exueret, aut præsumptione tyrannicâ regni fastigium vsurparet, anathema esset in conspectu Dei Patris & Angelorum, atq; ab Ecclesiâ Catholicâ, quam prophanauerat, haberetur extraneus.*

[u] *Concil. Tolet. 5. 6. 10.*
[x] *Can. 74.*

PHILALETHES. *Ecquid hoc iuramentum commune habet cum eo quo de fidelitate Regiæ Maiestati præstandâ apud nos iuratur?*

THEODIDACTVS. Paria ferè & gemella omnia! quod ex eo facilè perspicies, si iuramenti nostri formulam tibi è libello quem præ manibus habeo, recitauero: ea verò sic se habet ad verbum:

EGO A. B. *verè & syncerè agnosco, profiteor, testor, atq; denuntio, ex conscientiâ meâ, coram Deo & mundo; quod supremus dominus noster, Rex* IACOBVS, *verus est & legitimus Rex huius regni, aliarumq; omnium Maiestatis suæ ditionum ac terrarum; & quod Papa nec à seipso,*

ſeipſo, nec per autoritatem aliquam Eccleſiæ, ſedisue Romanæ, nec per vlla alia media, cum quibuſcunque alijs, aliquam poteſtatem habeat, vel autoritatem Regem deponendi, aut aliqua Maieſtatis ſuæ regna vel dominia in alium transferendi; aut alicui Principi extraneo autoritatem concedendi, vt ipſum, eiusue dominia moleſtet, aut inuadat; aut aliquos ſubditorum eius illâ, quam Maieſtati ſuæ debent, obedientiâ, & ſubiectione exonerandi: aut quibuſuis eorum licentiam vel facultatem dandi, vt arma contra ipſum gerant, tumultus excitent, aut aliquam vim aut damnum Maieſtatis ſuæ perſonæ, ſtatui, vel regimini, aut aliquibus eius ſubditis intra ſua dominia inferant.

Item, iuro ex corde, quòd non obſtante aliquâ declaratione, vel ſententiâ Excommunicationis, aut deprivationis, factâ, vel conceſſâ, aut imposterum faciendâ, vel concedendâ, per Papam, vel ſucceſſores eius, vel per quamcunq; autoritatem derivatam, ſeu derivari prætenſam ab illo, vel ab illius ſede, contra dictum Regem, hæredes, aut ſucceſſores ſuos, vel quâcunque abſolutione dictorum ſubditorum ab obedientiâ ſuâ; fidelitatem, veramq; obedientiam Maieſtati ſuæ, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis præſtabo: ipſumq; & ipſos pro virili meâ parte contra omnes conſpirationes, & impetus quoſcunque, qui in perſonam illius, vel illorum, eorumq; coronam, aut

aut dignitatem, ratione vel prætextu alicuius sententiæ vel declarationis, aut aliàs facti fuerint, defendam: omnemq; operam impendam, vt Maiestati suæ, hæredibus, ac successoribus suis detegam, notasq; faciam, omnes proditiones, & proditorias conspirationes, quas contra illum, aut aliquos illorum factas cognouero, vel audiuero.

Prætereà iuro, quòd ex animo horreo, detestor, & abiuro tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propositionem; quòd Principes à Papâ excommunicati, vel depriuati, possint à suis subditis vel alijs quibuscunque iure deponi, aut occidi.

Vlteriùs etiam credo, & in conscientiâ meâ pro certo habeo, quòd nec Papa, nec quisquam alius potestatem habeat me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi: quod iuramentum agnosco idoneâ plenâq; autoritate esse mihi legitimè ministratum; omnibusq; indulgentijs ac dispensationibus in contrarium renuncio. Atq; hæc omnia planè, ac syncerè, agnosco, & iuro, iuxta expressa verba per me hîc prolata; & iuxta planum ac communem sensum & intellectum eorundem verborum, absq; vllâ æquiuocatione, aut mentali euasione, aut tacitâ reseruatione quâcunq;. Hanc q; recognitionem facio ex corde, voluntariè, & verè, in verâ fide hominis Christiani. Ita me Deus adiuuet.

PHILA-

PHILALETHES. *Est quidem inter iuramentum isthuc, atq; illud superius tot synodis* Toleti *confirmatum, si rem ipsam spectes, accurata quædam harmonia, atq; concentus. Verum tamen illud breuius, contractiusque; isthuc paulo fusius videtur, & in plures veluti ramusculos ac propagines artificiosè diductum. Quocircà pergratum mihi feceris, si rem omnem ad certa quædam capita reuocaueris, ex quibus totius iuramenti vim & sententiam plenius articulatiusq; percipiam.*

THEODIDACTVS. Illud verò faciam quàm potero expeditissimè. Imprimis duo sunt in vnoquoque iuramento præcipuè aduertenda: Alterum, materia, siue res illa, in quam iuratur; alterum forma, modusque iurandi. Quod ad modum spectat, illud solummodò exigitur in hoc iuramento vt fiat *planè, & syncerè; absque vllâ æquiuocatione, mentali euasione, aut tacitâ reseruatione quâcunque*: hoc est, vt Prophetæ verbis vtar, [y] *in iustitiâ, iudicio, & veritate*: secùs quàm [z] *Arrius* ille infamis hæreticus deierâsse fertur; qui quærenti Imperatori, num vellet *Nicena* fidei, quæ ipsius hæresin de abnegatâ Christi diuinitate damnauerat, subscribere, continuò se facturum respondit: poscente verò Imperatore (quòd fidem eius quodammodò suspectam haberet)

y Ierem. 4. 2.

z Socrat. lib. 1.

ret) vt in ipsius Synodi verba iuraret; confessionem quandam hæreticam & suam composuit, eamque subsignatam sinu abdidit; ac tum demùm, cogitatione in hanc quam ipse secum habuit, intentâ, iurauit se verè & ex animo subscripsisse. Quod dum faceret perfidus simul perditusque hæreticus, aut nesciuit miser, aùt meminisse noluit, * *Quâcunque verborum arte quisque iuret, Deum tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipere sicut ille cui iuratur intelligit.*

* *Isidor. Hispal. sentenl. li. 2. cap. 31. Bernard. de interdomo. ca. 15.*

Iam res ipsa huic iuramento subiecta, cuius vberiori magisque distinctâ notitiâ te imprimis imbui velle intelligo, videtur in subiectas hasce theses commodissimè posse distribui.

1 *Supremus Dominus noster Rex* IACOBVS *verus est & legitimus Rex huius regni, cæterarumq́ omnium Maiestatis suæ terrarum ac ditionum.*

2 *Papa nec iure suo, nec autoritate Ecclesiæ, sedisuè Romanæ, nec vllo alio modo, vlliusue hominis alterius ope & adminiculo, potest Maiestatem Regiam deponere, Regnóue exuere.*

3 *Papa non potest Maiestatis suæ regnum aliquod vel dominium in alium transferre.*

4 *Papa non potest autoritatem concedere alicui Principi extraneo, vt Maiestatis suæ dominia inuadat.*

Papa

Papa non poteſt Maieſtatis ſuæ ſubditos fide & obedientiâ, quæ ipſi debetur, exoluere. 5

Papa non poteſt licentiam facere vni aut pluribus Maieſtatis ſuæ ſubditis, vt arma contra ipſum gerant. 6

Papa non poteſt efficere vt liceat alicui ex Maieſtatis ſuæ ſubditis Regiæ perſonæ, vel ſtatui, vel eius ſubditis quibuſcunque vim inferre. 7

Tametſi Papa ſententiâ ſuâ & iudicio Regiam Maieſtatem excommunicauerit, aut depoſuerit, aut ſubditos eius obedientiâ ſoluerit, ij tamen adhuc tenentur fidem ſuam & obedientiam illi perpetuò præſtare. 8

Si Papa Maieſtatem Regiam ſententiâ ſuâ excommunicauerit, vel depoſuerit; ipſius tamen ſubditi tenentur perſonam eius, & dignitatem, aduerſus impetus quoſcunque, vel etiam occultas coniurationes, propugnare, atque defendere. 9

Si Papa aduerſus Maieſtatem Regiam vel Excommunicationis vel depriuationis ſententiâ vſus fuerit; tenentur nihilo minùs ſubditi eius, coniurationes proditioneſque omnes, quas in illum factas audiuerint, aut cognouerint, reuelare. 10

Hæreticum eſt, & deteſtabile affirmatu: Principes à Papâ excommunicatos, poſſe à ſubditis ſuis alijſue aliquibus regno aut vitâ priuari. 11

Papa poteſtatem non habet Maieſtatis ſuæ ſubditos ab hoc iuramento fidelitatis, eiuſue parte aliquâ abſoluendi. 12

PHILALETHES. *Ex his sanè tribus tam distinctè explicatis & propositis, quid in vniuerso hoc iuramento potissimùm contineatur, multò luculentiùs, quàm antè, cognoui. Verùm, vt officio meo erga Regiam Maiestatem, ficubi opportunum fuerit, cumulatè satisfaciam; ista, quæ dicis, non intelligere solùm, sed & memoriæ mandare vehementèr expeto. Quod quidem faciliùs fecero, si libuerit tibi quæ adhuc numero quodam, & turbâ proposuisti, ad pauciora quædam capita, ac veluti fontes reuocare.*

THEODIDACTVS. Nec id quidem factu difficile est. Etenim suprema illa potestas, quam in Serenissimo Rege nostro agnoscimus, duobus veluti fundamentis innititur: Altero, quòd, *cùm autoritatem suam soli Deo acceptam referat, superiorem vlique qui in ipsum animaduertere possit, excepto Deo, neminem agnoscat*: Altero, quòd *officij vinculum quo Maiestatis suæ subditi ad ipsum tenentur, perpetuum sit, soluique sine piaculo non possit.* Hisce duobus capitibus (si id priùs concedatur, quod initio positum est [*Supremum Dominium nostrum* IACOBVM *esse verum & legitimum Regem huius Regni, cæterarumque omnium Maiestatis suæ terrarum ac ditionum*] quandoquidem id vel * furiosissimi Regij iuris oppugnatores palàm ac liberè profitentur) cætera omnia quæ ex iuramento fidelitatis

* Hæ iuramenti partes veræ sunt, quod Iacobus sit legitimus Rex Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c.

deliratis copiosè distributéque proposui, liquidò videntur contineri.

Vt itaque à priori exordiamur, quùm id Deo familiare sit, vt, sicubi Regibus impijs legumque suarum contemptoribus, vehementiùs indignatur; ijs, quemadmodum *Sauli* & *Rehoboamo, regni scissuram*, familiæque suæ cladem & interitum minitetur: consequens est, ista omnia, *Regem deponere, transferre Dominia, vel eius fines hostili more inuadere*, inter grauissima vltionis & vindictæ genera ponenda esse. Quapropter, si Maiestas Regia superiorem qui in ipsum animaduertere possit, excepto Deo, neminem habeat; certè nec Papa tanquam ipso superior, vllo modo potest eum *deponere, transferre eius dominia, aut fines ipsius hostiliter inuadere*, quæ secundæ, tertiæ, quartæque theseos mens est, & medulla.

PHILALETHES. *Eodemnè Regiæ potestatis fundamento cæteræ omnes, quas recensuisti, theses continentur?*

THEODIDACTVS. Nequaquàm verò! sed potiùs secundo illo nituntur principio, quod *Officij vinculum, quo Maiestatis suæ subditi ad ipsum tenentur, perpetuum sit, soluique sine piaculo non possit.* Id tibi palàm fiet, si præcipuas illius officij partes, quod Principi à subditis debetur, veluti compendio

Becan. Controu. angl. cr. 3. Quilibet Catholicus Anglus profitetur Maiestatem suam esse verum & legitimum Regem. Parson. in Iudicio de Apologiâ, p. 11. 1. num. 22.

dio quodam recitauero. Hîc autem quo præceptore meliùs vtemur, quàm Deo ipso, qui illas in sacris literis accuratè descripsit?

Etenim commune illud Dei præceptum [a *Declina à malo, & fac bonum*] per vniuersa vitæ officia diffunditur, siue ea sint Domino à seruis, seu parenti à liberis, seu Principi denique à subditis præstanda. In eo verò quod subditorum proprium appellaui, *malum* à quo tantoperè declinari debet, primùm *actionis* est; nec enim licet Principem b *tangere*, saltem noxio aliquo tactu, aut violento, nec in sacram eius personam c *manum immittere*, nec vel d *oram chlamydis præscindendo* timorem ei aliquem pudoremuè incutere: tùm *linguæ* & *sermonis*, siquidem e *principi populi non est maledicendum*: postremò *mentis* & *cogitationis*, nam f *ne in cogitatione quidem Regi detrahendum est*. Pari ratione, quod à subditis *bonum* exigitur ratione sui erga Principem officij, primum in *actione* versatur, vt ad Regale subsidium g *tributa conferant*, vt eius prælia cum *Ioabo* fortiter depugnent, vt cum *Davide* eius hostes quantocunque vitæ suæ periculo insequantur: tum *verbis* etiam & *sermone*, vt cum h *Mardochæo* nefaria *Bigthanis* & *Teresbi* consilia tempestiuè detegant, *proteſque*

a Psal.36.28.
b Psal.104.15.
c 1.Sam.24.7.
d Ibid.vers.6.
e Exod.22.28.
f Eccles.10.20.
g Rom.13.6.
h Esther 2.22.

&

& [i] *supplicationes* pro incolumitate Regiâ deuotè fundant: postremo ipsa *mente* atque *affectu*, vt Regem quâ par est veneratione colant & prosequantur, idque ex animo & [l] *propter conscientiam*, tanquam [m] *Christum Domini*, sacram *Dei* [n] *ordinationem & ministrum*, aut potius terrestrem quendam & mortalem [o] *Deum*. Id enim est [p] *propter Deum subijci*, [q] *timere Deum, & Regem honorificare*, si quis Deum imprimis timeat, à quo [r] *Reges regnant*, thronique eorum perpetuò stabiliuntur.

i 1. Tim. 2. 2.
l Rom. 13. 5.
m Esa 45. 1.
n Rom 13. 2.
o Psal. 81. 6.
p 1. Pet. 2. 13.
q 1 Pet. 2. 17.
r Prou. 8. 15.

Iam si potentissimi Regis nostri subditi ex officio quod supremæ eius Maiestati debent teneantur, ne sacratissimæ illius personæ vim inferant, sed quibus possunt modis etiam cum vitæ suæ periculo subueniant; ne linguis illi detrahant aut maledicant, sed potius fausta omnia precentur, & quicquid ei struitur insidiarum detegendo, studioſè consulant: ne denique mente aut animo malam de ipso opinionem foueant, sed ex intimo cordis affectu veneterentur, vt Dei ipsius in terris vices obeuntem: si istius etiam *officij vinculum* (quod secundo Regiæ potestatis fundamento asseritur) *perpetuum sit, soluiq. sine piaculo non possit*; certè quantumuis Papa id sibi arrogantèr sumat, vt Maiestatis suæ subditos fide datâ liberet, & juramento

juramento soluat; vt licentiam eis concedat, vel arma contra ipsum ferendi, vel quamcunque vim inferendi; vt denique ipsam Maiestatem Regiam excommunicet, & quod in se est, deponat: hæc tamen omnia, sicut factu impia & nefaria, ita ipso iure prorsus nulla sunt; nec, milliès tentata, efficere possunt, quin maneat subditorum officium, quo tenentur, ne Maiestatem suam regno aut vitâ spolient, neue sacratissimæ eius personæ, coronæ, aut dignitati vim inferant; sed aduersùm impetus quoscunque tueantur & defendant, coniurationes contra ipsum factas detegant, omnemque illi fidem & obedientiam officiosè præstent.

PHILALETHES. *Iam planè video duabus hisce potestatis ac iuris Regij columnis, quicquid vniuersæ istius iuramenti moli & machinæ superstruitur, appendi: Et quamuis ipse pro certo habeam, vtriusque veritatem firmiorem esse, quàm vt possit aduersariorum viribus expugnari; quo tamen armatior in eorum tela, & incursus prodeam, cupio ex te audire, quibus illæ fulcris & fundamentis præcipuè innitantur.*

THEODIDACTVS. Dabo isthuc quidem lubentissimè studio & voluntati tuæ. Itaque, si placet, ab eo initium sumemus; quòd *Supremus Dominus noster, Rex Iacobus, autoritatem*

autoritatem ſuam ſoli Deo acceptam referens, ſuperiorem, qui in ipſum animaduertere poſſit, excepto Deo, neminem habeat, aut agnoſcat.

Huic veritati imprimis fauet vetus iſtius regni mos & conſuetudo. *Bractonus* enim, qui ſub *Henrico* tertio viginti annos ſummi Iuſticiarij munere defunctus eſt, veteres *Angliæ* ritus & inſtituta commemorans, [a] *Sunt* (inquit) *ſub Rege liberi homines, & ſerui, eius poteſtati ſubiecti; & omnes quidem ſub eo, & ipſe ſub nullo, niſi tantùm ſub Deo.* Idemque rurſus: *Si ab eo peccatur (quum Breue non currat contra ipſum) locus erit ſupplicationi quòd factum ſuum corrigat & emendet; quod quidem ſi non fecerit, ſatis erit ei ad pœnam, quòd Dominum expectat vltorem. Nemo enim de factis ſuis preſumat diſquirere; multò minùs contra factum ſuum venire.* Neque hoc aliud priuilegium eſt, quàm quod à Deo ipſo Regiæ Maieſtati tribuitur. [b] *Ego moneo te* (inquit ille per *Eccleſiaſten*) *vt os Regis obſerues, & præcepta iuramenti Dei: Ne feſtines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo; quia omne quod voluerit, faciet: Et ſermo illius poteſtate plenus eſt, nec dicere ei quiſquam poteſt, Quare ita facis?* Luculenta verò & præclara iuris Regij prædicatio; ex quâ conſtat, quemadmodum Reges ſubiecti ſunt Deo, vtpote cui [c] *obediendum eſt potiùs*

a Bract. de Leg. & conſuetud. Angliæ, li. 1. cap. 8. num. 5.

b Eccles. 8. 2.

c Act. 5. 29.

quàm hominibus ; ita insuper soli Deo subiectos esse, nec quenquam mortalium superiorem agnoscere, qui ab ijs factorum aut rationes exigere possit, aut pœnas.

Nec verò istam diuinæ veritatis particulam à *Solomone* solùm, sed & à patre eius *Davide* traditam accepimus; qui cùm altissimum Regiæ dignitatis fastigium solius Dei iudicio seueriſſimo suppositum intueretur, in illas sancti doloris voces & lamenta prorupit: [d] *Tibi Domine, tibi soli peccaui. Tibi soli* (inquit [e] *Ambrosius*) *Rex vtiq; erat : nullis ipse legibus tenebatur ; quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum : neque enim vllis legibus ad pœnam vocantur, tuti imperij potestate : Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius*, ad pœnam, sed ad monitionem tantùm, aut etiam obiurgationem ipsius Dei nomine & autoritate suscipiendam.

Quocirca *Nathan* Propheta, quùm præfatione illà priùs vsus fuisset *(Hæc dicit Dominus)* [f] *monuit Regem Davidem, vt per pœnitentiam peccata sua expiaret ; non tulit in eum sententiam, quâ tanquam adulter & homicida* iuxta legem *morti addiceretur*. Si enim eiusmodi aliquam *Nathan* in *Davidem* tulisset sententiam, vtique potestatem habuisset ipsum & vitâ, &, quod ex eo pendebat, regno priuandi : at hoc ideò solus Deus iure potest

d Psal 51.6.
e *In Apolo. Dau. cap. 4. li. 2. epist 7. epist. in Psal. 118. Cui assent. Arnob: Cassiodor: Beda, Euthym: in 51. Psal Dydymus, Cyril. Nicetas in aurea caten. in 50. Psal.*

f *Leo quartus, 2. q. 7. ca. Nos si competenter.* 2. Sam. 12.

test auferre, quia solus contulit. Nam à quo tandem habent Principes vt splendore Regio tanquam dij quidam in terris cæteris hominibus præluceant? Respondet Deus per Prophetam: [g] *Ego* (non alius quispiam ex creaturis, sed ego ipse) *dixi, Dij estis.* Et quemadmodum verbo ac voluntate meâ factus est mundus, ita vos eodem verbo ad mundi imperium & regimen designati. Quis illis sceptra contulit, & diademata? nimirum *Excelsus* ille, qui [h] *dominatur in regno hominum, & cuicunque voluerit, dat illud.* Quis in solio & purpurâ collocauit? Ipsa eadem manus *Omnipotentis*, [i] *Reges* (vt habet vulgata editio) *collocat in solio.* Quis denique in ipsâ Regnorum suorum moderatione regit & moderatur? [l] *Per me* (inquit Dominus) *Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt:* hoc est, ipsius solâ vi & autoritate, qui [m] *Rex est omnis terræ.* Et vt ad singula veniamus; annon Deus per *Nathanem* Prophetam *Dauidi* suggerit; [n] *Ego vnxi te in Regem super Israël?* Annon fatetur *Solomon*, se *à Domino* [o] *firmatum collocatumque super solium Dauid patris sui?* Annon ipsius Dei nomine *Ieroboamo* edixit Propheta *Ahias*, [p] *Ego dabo tibi decem tribus?* Neque ipsum solummodò ius Regni & potestas, sed & quæcunque eius iuris propria sunt aut

g Psal 81.6.

h Dan 4.22.

i Iob 36.7.

l Prou. 8.15.

m Psal. 46.7.

n 2. Sam. 12.7.

o 1. Reg. 2.24.

p 1. Reg 11.31.

consequentia ab eodem fonte proueniunt. Nam & [q] *coronam* regiam, & [r] *vectionem*, & *sceptrum*, & [s] *solium* Deus suo iure sibi vendicat; quæ autem hisce omnibus ornantur personæ, tam sacræ sunt, ac diuinæ, vt ipsi *Dei* [t] *Angeli*, [u] *filiique Altissimi* meritò appellentur.

q Psal 20.3.
r Psal.88.20.
s 2.Paral.9.8.
t 2.Sam.14.17.
u Psal.81.6.

PHILALETHES. *At si Principum tam sacræ sint personæ, eorumque autoritas ita quemadmodum dicis à Deo tota deriuetur; qui fit, vt in sacris literis nonnulli eorum, quos modò nominâsti, Regnum à populo creati dicantur, suamque autoritatem velut ab ipsorum suffragijs & electione consecuti? Nam de* Saule *quidem legimus,* [x] *perrexisse* omnem populum in Galgala, ibique eum fecisse Regem coram Domino. *Quin &* Dauidem [y] viri Iudæ in Regem super domum Iuda, [z] senioresque Israël in Regem super Israël vnxisse *memorantur.*

x 1.Sam.11.15.
y 2.Sam.2.4.
z 2.Sam.5.3.

THEODIDACTVS. [a] *Solomonem Zadok Sacerdos, & Propheta Nathan vnxerunt in Regem:* & idem tamen vnctus est à Domino; alioqui non tam *Christus Domini*, quàm *Zadoki* & *Nathanis Christus* fuisset. Vnxit inquam Dominus *Solomonem*, tanquam ipsius rei autor & substantiæ, qui Regiam illi potestatem contulit: vnxerunt *Zadok* & *Nathan* vt ceremonijs præfecti, qui potestatem hanc

a 1.Reg.1.

hanc à Deo collatam indicarunt: Neque enim exterior ista olei profusio suam Regibus largitur autoritatem (quandoquidem & absque vnctione [b] *Cyrus*, & ante vnctionem inuentam nonnulli ex [c] *Patriarchis* pro eâ, quam in familias suas obtinebant, potestate, *Christi Domini* appellabantur:) sed tantùm dominatus cuiusdam signum est, & indicium; propterea quòd oleum, si eidem cum alijs liquoribus vasi ingeratur, ad locum summum suâpte vi subuolet continuò, & aspiret.

b Esa. 45. 1.
c 1. Paral. 16. 22.

Quum itaque Seniores *Iudæ* & *Israëlis Dauidem vngerent in Regem*, id tantùm volebant, vt Regem factum significarent, non vt ad Regnum ius adderent; quippe quod iam ante solius [d] Dei iussu & designatione collatum est.

d 1. Sam. 16.

Similiter & *Saul*, à Deo priùs [e] *vnctus in Principem super hæreditatem suam*, à Deo populi precibus & importunitati concessus, à Deo immediatè per sortilegium (sicut [f] *Matthias* ad Apostolatum) electus: certè Regnum suum, eiusq; iura omnia à Deo obtinuit, non à populo; qui tamen, post hæc omnia, illum * *Regem fecisse* dicuntur; siue electionem à Deo factam comprobando; siue admittendo eum in possessionem administrationemque Regni, quem *filij Belial*

e 1. Sam. 10. 1.

f Act. 1. 26.

* המליך Constituere Regem. Est verbum tertiæ Coniugationis, quod cum efferat duplicem

actionem, propriè *significat* facere regnare; *& regnare, est regiam exercere potestatem; quasi dicerent, fecerunt vt regiam potestatem exerceret.* Iesuita Pineda, *li.1.ca.2. de rebus Salomonis.*

lial per contemptum impiè reiecerant. Hic itaque populi actus, hoc institutum fuit; non vt *Sauli* ius novum regnandi facerent, sed facultatem iuris sui, quod à Deo habebat, exercendi conferrent. Quum enim ex speciali Dei lege & mandato debuerint *Iudæi*, illum [g] *Regem constituere, quem Dominus Deus suus elegisset*, cuique ipse prius autoritatem Regiam demandâsset; consequens est vt illorum Principes *à cælo, non ab hominibus*, à prouidentiâ diuinâ, non ab aurâ ventoque populari, suam traxerint dominandi potestatem.

g Deut.17.15.

Et quemadmodum in donis illis spiritualibus excitandis quibus solet Deus pro suâ benignitate piorum animos exornare, neq; externum *Pauli plantantis* ministerium, neque etiam *rigantis Apollinis* quicquam valet, sed [h] *Deus est, qui dat incrementum*; ita in ciuili hâc quam Deus Principibus impertit, potestate deferendâ, votum populi & consensus nihil impedit, quo minùs ea tota & integra largitori Deo tribuatur.

h 1.Cor.3.7.

PHILALETHES. *Esto iam! sacrosancta illa Principum potestas authorem populum non habeat: sapissimè tamen euenit, vt ea vel à maioribus successione quâdam & serie deriuetur; vel vi præmium fortitudinis, virtutisq; bellicæ, post arma legitimè sumpta, victori cedat. Hac si*

vera

vera ſunt, qui tandem affirmas illam à ſolo Deo immediatè conferri?

THEODIDACTVS. Succeſſionis ordo, legitimique belli exitus, habent ſanè titulum quendam, ex quo in alicuius Regni poſſeſſionem iure deſcenditur: Veruntamen iſta autoritatis Regiæ fontem primarium non attingunt. Sicut enim calor, & humor, & frigus, ſiccitaſque, & quæ ex horum omnium mixtione oritur, corporis noſtri ordinata temperies (dum intra vterum maternum mirabili naturæ artificio formamur) præparationem quandam habent, accommodationemque corporis, ad ipſam animam ſuſcipiendam, cuius artifex eſt, & [i] *Creator, Deus*: Ita ad imperium capeſſendum idoneos quodammodò reddit ius *Succeſſionis*, aut *Victoriæ*; ipſius tamen poteſtatis autor primarius ſolus Deus meritò cenſetur. *Inde illis poteſtas, vnde ſpiritus*, (inquit [l] *Tertullianus*) & ante ipſum [m] *Irenæus*; *Cuius iuſſu naſcuntur homines, eius iuſſu conſtituuntur Principes*: hoc verò eſt, ſolius Dei, qui [n] *animas* (vt eſt in ſententijs) *infundendo creat, & creando infundit*. Iam quemadmodum iſta Principum poteſtas à ſolo Deo, tanquam autore, promanat; ita eiuſdem benè vel malè adminiſtratæ ratio ſoli Deo, non mortali alicui creaturæ, reddenda eſt.

i Eccles. 11.7.

l *Apologet cap.* 30

m *Lib.* 5. *aduers. Hæreſ.*

n 2. *Sentent. diſt.* 17.

est. Vnus ille Reges in solium euehit; idemque vnus, quum libuerit, euectos deprimit rursus, ac deturbat.

PHILALETHES. *Annon Sacerdotes apud* Iudæos *ipsis Regibus præfuerunt, ita vt & delinquentes punire, &, si opus esset, Regno summouere potuerint?*

THEODIDACTVS. Nequaquam verò! sed ipsi potiùs Regibus subiecti, si quid commissent, eorum sententiâ & iudicio plectebantur. Ita *Abimelech* Sacerdos se Regis seruum profitetur. De se enim loquutus; [o] *Ne suspicetur* (inquit) *Rex aduersus seruum suum rem huiuscemodi:* Rursumque ad *Saulem* verba faciens; *Non enim sciuit seruus tuus quicquam super hoc negotio.* Ac ne ista forsan hominis meticulosi videantur, *Saulem* Tyrannum submissiùs quàm par erat, alloquentis: ipse *Dauid*, Rex pientissimus, Sacerdotem [p] *Zadok* seruum suum appellauit: Nec minori iure vsus est *Solomon*, quum primatus sui sibi probè conscius, [q] *Abiatharem* sacerdotio summo exuit, eiq; *Zadokum* subrogauit.

o 1.Sam.22.15.

p 1 Reg.1.33.

q 1 Reg.2.

PHILALETHES. *Habet certè contextus,* [r] Eiecit Solomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini: *verùm isthuc à nonnullis* Solomoni *non vt Regi, sed vt Prophetæ tribuitur; quòd in eodem contextu protinùs sequatur,*

r 1 Reg.2.27.

vt

vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli.

THEODIDACTVS. Immò verò *eiecit Solomon Abiathar*, non eo adductus, vt prophetiæ verba adimpleret; ſed quòd is aduerſus Regnum ſuum cum [f] *Aaoniâ* conſpirâſſet. Etenim verba illa *(vt impleretur ſermo Domini)* non rationem facti continent, ſed euentum: qui quidem à Prophetâ prædictus eſt; non tamen ab eo præſtitus, vt Propheta. Siquidem facienda prædicere, non prædicta facere, Prophetarum eſt. Alioquìn & milites illi qui in veſtimentum Chriſti ſortem miſerunt, (vt [t] *Scriptura* ſcilicet *impleretur)* Prophetæ extitiſſent: & *Herodes* ipſe vates, dum [u] vaticinio *Ieremiæ*, infantes *Bethleemiticos* trucidando, reſpondit. Multa, quæ in hanc ſententiam dici poſſent, lubens prætereo; quòd videam ex ipsâ *Ieſuitarum* ſcholâ nonnullos huius controuerſiæ arce & propugnaculo ſponte decedere, faſſos nimirùm vltrò & ingenuè, *ſacerdotes Iudaicos ſuis Regibus fuiſſe ſubiectos.* Ita enim primipilaris quidam illius cohortis: [x] *In veteri* (inquit) *Teſtamento ſub lege Naturæ vel Moſis, ſummi ſacerdotes Regibus ſubdebantur.*

f 1. Reg. 1.

t Ioh. 19. 24.

u Matt. 2. 17.

x Solmeron in tract. 63. de poteſt. Eccleſ. & ſeculari.

PHILALETHES. *At ego alios audiui Romanarum partium ſtudioſos, qui hos ipſos Iu-*

dæorum *sacerdotes Regum solijs præficerent, eumq; in finem exempla quædam adducerent è Scripturis: Primùm* y Azariæ *sacerdotis summi, qui octoginta alijs sacerdotibus stipatus Regem* Oziam, *leprâ percussum, quòd* incensum Domino adoleuisset, [a] strenuè *aggressus est; eumq; templo per vim pulsum, & iuxta legem* [b] Leuiticam *ciuitate exire coactum,* [c] regnandi *demùm* authoritate *priuauit: Tùm etiam* [d] Iehoiadæ; *qui, dum sacris præfuit,* Athaliam *Reginam interfici curauit, quòd* [e] impium Baalis cultum fouisset, *eiq;* Ioash *Regem suffecit.*

THEODIDACTVS. Ista verò ab *Azariâ, Iehoiadâque* sacerdotibus gesta, si ex sacris literis ad historiæ fidem describerentur, parùm profectò facerent ad imperium Sacerdotum in Principes stabiliendum. Primum enim Scriptura non dicit *Azariam* cum *Oziâ* Rege *congressum esse*, aut eum *templo per vim expulisse.* [f] Compulsus ille quidem est vt exiret (necquicquam tamen adnitente *Azariâ*) solâ Dei manu, qui ipsum *leprâ percusserat*: Quod verò dicitur *Azarias* Pontifex cum reliquis Sacerdotibus [g] *festinatò illum templo expulisse*, id ([h] *Iosepho* interprete) de voce solummodò & hortatu accipiendum est: cuius rei rationem affert [i] *Chrysostomus*: *Nam sacerdotis* (inquit) *est tantùm*

y 2. Paral. 26.

a *Allen. Defens. Angl. Catbol. ca 5.*

b Leuit. 13.

c *Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 8.*

d 2. Reg. 11.

e *Bellarm. lib. 5. de Rom. Pont. ca. 8.*

f 2. Paral. 26. 20.

g Ibid.

h *Antiq. Iudaic. li. 9. ca. 11. quem sequitur Caietanus in 2. Paral. 26 Visâ leprâ Sacerdotes Regem leprosum ad festinè egrediendum monuit.*

i *De verbis Isaiæ vid. dom. Hom. 4.*

tantùm arguere, liberamq; præstare admonitionem: non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iaculum mittere, sed tantùm arguere, & liberam præstare admonitionem.

Neque verò *Oziam Azarias* regnandi autoritate priuauit, quam certum est eum ad extremum vsque spiritum retinuisse. Quippe [l] *sedecem annorum erat quum regnare capisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Hierusalem:* [m] sexagesimo verò octauo ætatis anno extinctus est. Et quantumvis ei ob lepram, iuxta præscriptum legis, [n] *seorsim habitanti*, surrogatus sit filius *Iotham*, [o] *ad regendam domum Regis, & iudicandum populum terræ*, haud tamen *regnauit Iotham pro eo*, aut ius imperij sibi arrogauit, donec ipse *Ozias* [p] *cum patribus suis dormiuisset.*

l 2.Reg.15.2.

m *Ioseph.lib.9. Antiquit.ca.11.*

n 2.Reg 15.5.
o 2 Paral.26. v.21.

p Ibid.ver.23.

PHILALETHES. *Satis, opinor, huic exemplo Azariæ pro rei veritate respondisti: Verùm illud* Iehoiadæ *paulò nodosius videtur, maioriq; implexum difficultate.*

THEODIDACTVS. Vtrinsque sanè par est, & æquè facilis solutio; quod tibi liquidò ostensurus sum, si vel ista placeat in memoriam reuocare.

Primùm, defuncto *Ahaziâ* [q] filio *Iorami*, & [r] Rege *Iudæ*, matrem eius *Athaliam*, [s] *omne semen Regium interfeciſſe*, excepto *Ioasb* filio

q 2.Reg.8.
r 2.Reg.9.
s 2.Reg.11.

t 2.Reg.11.2. *Ahazia*, quem ipſius amita t *Iehoſheba*, vxor *Iehoiadæ* ſacerdotis, clam ſubduxerat è medio filiorum Regis, qui neci deſtinabantur, eumque ſex annis abdiderat in domo Domini.

Tum; *Iehoiadam*, non vt ſacerdotem ſummum, ſed vt Regis ex contractâ affinitate patruum, ac Tutorem; nec etiam ſolum,

u 2.Paral.23.1.2 ſed u *aſſumptis Centurionibus, congregatiſq; Leuitis de cunctis vrbibus Iuda, & Principibus familiarum Iſrael,*

x Ibid.v.11. x *eduxiſſe Ioaſh filium Ahazia, illumq; diademate ornâſſe*, & in regnum quod ei tum iure hæreditario, tum ipſius Dei conſilio, debebatur, adſciuiſſe.

y 2.Paral.23. v.14.15. Poſtremò; y quum in hunc modum *Ioaſh* imperio potiretur, eius authoritate fretum Pontificem, *Athaliam* iſtam, quæ regnum per ſcelus occupauerat, neci addixiſſe: atque ita cruentam illam belluam non tam *Iehoiadæ* ſacerdoti, quàm *Ioaſh* vero illius regni hæredi, inſolentiæ ſuæ pœnas dediſſe.

PHILALETHES. *Iam planè intelligo, eos qui mitram diademati, hoc eſt, ſacerdotium Regiæ poteſtati conantur anteferre, parum admodum ſubſidij habere ex veteri Teſtamento: ſed neſcio an ex nouo poſſit aliquid ſaltem afferri, quod præpoſteræ huic ſubiectioni in ſpeciem fauere videatur.*

THEO-

THEODIDACTVS. Si Reges ante aduentum Christi supremam autoritatem, cum in Sacerdotes, tum in omne genus homines, suis ditionibus subiectos, obtinuerunt; non est verisimile hanc potestatem à Christo posteà sublatam esse, aut aliquâ ex parte imminutam. *Auaite Iudæi & gentes* (inquit [a] *Augustinus* sub nomine & personâ Christi) *audi Circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena: Non impedio dominationem vestram in hoc mundo: Regnum meum non est de hoc mundo, sed cæleste est*, sed spirituale. Quapropter [b] *Christus leges suas non ad hoc induxit, vt politias euerteret, sed vt melius institueret*, dicente *Chrysostomo*.

[a] *Tract. 115 in Ioannem.*

[b] *Chrysost. hom. 23 in 13. ad Rom.*

Iam inter cætera illius decreta, quæ summâ semper religione obseruari voluit, annon hoc sanctum est & sollenne ipsius *Pauli* ore promulgatum, [c] *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit?*

[c] Rom. 13. 1.

PHILALETHES. *Quas demùm potestates intelligis?*

THEODIDACTVS. Eas nimirum, quæ gladium portant, quibusque tributum ex iure debetur. Vnde [d] *Augustinus, Chrysostomus, atque omnes ferè veteres, intellexerunt Paulum hîc loqui* tantùm *de potestate sæculari.*

[d] *Iesuita Pererius disp. 10. in 13. ad Rom.*

PHILALETHES. *At qui sunt illi, qui potestatibus hisce sæcularibus subyciuntur?*

THEODIDACTVS. *Omnis* omnino *anima*, [c] *etiamsi Apostolus sit, si Euangelista, si Propheta, quisquis tandem fuerit.* Nam id *Paulus* suo exemplo testatur, dum se [f] *ad tribunal Cæsaris stare* affirmat, à quo (inquit) δεῖ με κρίνεσθαι, *oportet me iudicari*; cuiusque sententiæ me optimo iure subiectum agnosco.

c *Chrysost. in 13. ad Rom. cui Theodoret. Theophylact. Oecumen. assentiuntur.*

f Act. 25 40.

Nec mirum, si *Paulus Cæsari* hoc in genere primas tribuerit, cui iam ante ipsius magister Christus tributum pensitârat; idemque confessus fuerat, *Pilatum*, minorum gentium Magistratum, vnius scilicet prouinciolæ præsidem, [g] *potestatem in se habere*, eamque *datam desuper*.

g Ioan. 19. 11.

Ita *Pontifex noster æternus*, quicquid in se mortale erat, aut creatum, ciuilium potestatum imperio officiosè submisit; quem sequutus Apostolorum Princeps *S. Petrus*, ipsos compresbyteros suos, quos hortatur ad [h] *pascendum gregem Dei*, monet alibi, vt [i] *Regi, tanquam præcellenti, subijciantur.*

h 1. Pet. 5 2.

i 1. Pet. 2. 13.

PHILALETHES. *At his duobus Apostoli præceptis, quibus monet Presbyteros, primùm vt* pascant gregem Dei, *tùm, vt* Regibus subijciantur, *videtur haud satis inter se conuenire. Nam & Reges ipsi, quicunque Christo dederunt nomina, ipsius gregis oues censendi sunt, ac proinde* [l] suis pastoribus, *qui animarum saluti inuigilant, obedire & subiacere debent. Quod si*

l Heb. 13 17.

Regum

Regum sit Pastoribus obtemperare; qui fieri potest, vt hi illis vicissim subyciantur?

THEODIDACTVS. [m] *Vniuersæ tribus Israël* (in quibus & ipsa Leuitarum sacerdotumque familia numeranda est) hoc à Deo *Dauidi* dictum confirmârunt, *Tu pasces populum meum Israel.* Quin & ipse *Dauid* populum vniuersum [n] *oues suas* appellat. Quapropter & Reges in suo genere Pastores sunt; & subditi quicunque, etiam ipsi sacerdotes, ad eorum gregem & ouile pertinent.

PHILALETHES. *Isthuc verò mihi non tollit, sed auget dubitationem. Neque enim facilè capio, quâ ratione possint Reges, Sacerdotesque, esse sibi inuicem, & mutuò pastores.*

THEODIDACTVS. Diuerso planè sensu & sententiâ. Nam *oues Pastor* (inquit [o] *Chrysostomus*) *magnâ potestate cogere ad perferendam morborum curationem queat, quùm non sustinent sponte; easque ad feracia & tuta pascua compellere, si vagæ depascantur sterilia & abrupta loca.* Et huius quidem generis Pastores, translato vocabulo, Reges appellantur, qui externâ quâdam vi, & terrore supplicij subditos in ordinem cogunt. At *Episcopi*, siue Presbyteri (vt idem loquitur [p] *Chrysostomus*) *homines, & rationales Christi oues, suadendo, non vim afferendo, commouere debent, vt se curari sinant.*

Quem-

m 2 Sam. 5. 1. 2.

n 2. Sam. 24. 17. *Dauid quum Angelum vidisset percutientem in plebem, ait, Ego peccaui, & ego pastor malignus feci, & hic grex quid fecit? Ambros. epist. 28.*

o *Lib. 2. de Sacerdotio.*

p *Ibid.*

Quemadmodum itaq; Christianos omnes q *sibi inuicem subiectos esse oportet*, ad reprehensiones, monitionesque fraternas, si opus fuerit, sustinendas; ita ipsorum Principum est obedire Pastoribus animarum, quamdiu pro Christo legatione funguntur, eiusque diuina consilia, prout sui muneris est, aperiunt. Quod si illorum ministerio Reges edocti, purum Dei cultum suâ autoritate promulgârint, eumque publicè vsurpandum præceperint; possunt & ipsi, Pastores suos, ad huiusmodi iussa præstanda, vi, & supplicio compellere.

q 1. Pet. 5. 5.

Princeps in exteram aliquam regionem suâ naue, suis remigibus profecturus, in illo itinere cursuque maritimo gubernatoris consilio ac voluntati se submittit: qui tamen si ab officio volens discedat, potest idem in caput eius, libertatem, aut fortunas seuerissimè statuere. Pari iure in Ecclesiâ (quam veteres nulli rei frequentiùs quàm naui assimilârunt) Principes ad cœlum iter facientes, minutissimis Dei seruis ipsius voluntatem purè exponentibus morem gerere oportet: quod si isti pro diuinâ veritate suos errores & mendacia propinârint, tam Principibus fas est eos punire, quàm illis nefas resistere.

Vt itaque verbo dicam: Principes obtemperare

temperare debent consilio diuino per eius legatos ad animarum salutem patefacto: quæ res infiniti sanè ponderis, & precij, quod eorum plerunque [a] sequatur ministerium, *nihil in hoc sæculo excellentius sacerdote, nihil Episcopo sublimius reperiri*, asserit [b] *Ambrosius*. Quæ verò Principibus ab ipsis Dei ministris debetur obedientia, in eo consistit, vt pœnis illorum temporalibus se coercendos tradant; qui tamen ipsi nulli iudicio humano subijciuntur. Quocircà [c] *Tertullianus*, communi Christianorum omnium nomine verba faciens; *Colimus* (inquit) *Imperatorem sic, quo modo nobis licet, & ipsi expedit; vt hominem à Deo secundum, & quicquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem.*

[a] Ioan. 20.

[b] De dignitate Sacerd. ca. 3.

[c] ad Scapulam.

PHILALETHES. *Ecqui præterea Ecclesiæ primitiuæ Patres hunc primatum in Imperatoribus sui temporis agnouerunt?*

THEODIDACTVS. Planè omnes, quibus incidit eâ de re scribendi occasio. [d] *Optatus*, *Super Imperatorem* (inquit) *non est nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem.* [e] *Chrysostomus* de Imperatore *Theodosio*: *Non habet parem vllum super terram, summitas & caput omnium super terram hominum.* [f] *Cyrillus* ad *Theodosium* iuniorem scribens; *Vestræ* (inquit) *serenitati nullus status est æqualis*, nedum superior. [g] *Agapetus* de Imperatore *Iustiniano*

[d] Lib. 3. contra Parmenian.

[e] Hemil. 3. ad pop. Antioch.

[f] Epist. ad Theodos. præfixa lib. aduersus Iulianum.

[g] Parænet. 1.

ano asserit, eum *homine quolibet sublimiorem habere dignitatem :* [i] *Non se habere in terris quenquam altiorem.*

[i] Ibid. num. 23.

PHILALETHES. *Si Patres antiqui tam diuersis Ecclesiæ temporibus (nam ab* Optato *ad* Agapetum *ducenti penè anni numerantur) eâdem prorsus sententiâ, atque ijsdem ferè verbis Imperatoriam dignitatem extulerunt ; quo demùm tempore cæpit Romanus Pontifex se Imperatore superiorem venditare ?*

THEODIDACTVS. Haud certè quingentis proximis post Christum annis : Eo enim tempore *Pelagius* Episcopus Romanus, eius nominis primus, ita *Childebertum Galliæ* Regem affatur : [l] *Quanto nobis studio & labore satagendum est, vt, proferendo suspicionis scandalo, obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sanctæ scripturæ præcipiant !* Sed neque sexcentis à Christo annis ; etenim sub id tempus [m] *Gregorius Magnus*, Episcopus etiam Romanus, piè confessus est, *potestatem supra omnes homines, Dominorum suorum pietati cælitùs datam esse :* posteáque seipsum *omnium hominum* numero accensens, *Ego* (inquit) *iussioni subiectus :* ac ne vox illa fictæ potiùs humilitatis, quàm conscientiæ aut officij videretur, subijcit ; *Vtrobique quod debui, exolui ; qui & Imperatori obedientiam præbui, &*

[l] Epist. 16. ad Childeb. apud Binium. tom. 2. Concil. p. 633.

[m] Lib. 2. epist. 61

pro

pro Deo, quod ſenſi, minimè tacui. Quin immò, nongentis demùm à Chriſto annis, ea permanſit Imperatorum in Epiſcopos Romanos poteſtas & iuriſdictio; vt in ſcelera prorumpentes, ipsâ nonnunquam ſede Epiſcopali dejecerint; quemadmodum *Otho* Imperator *Ioannem* XXII. ob vitæ impuritatem & nequitiam Pontificatu exuit.

PHILALETHES. *At quæ primùm ætas Epiſcopum Romanum ita exultantem, ferocientemque vidit, vt ipſa Imperatorum iura auderet inuadere, eoſque ſceptro ac diademate Regio ſpoliare?*

THEODIDACTVS. Nimirum ea, quæ poſt mille demum annos ab aſcenſu Chriſti inſecuta eſt. Etenim *Gregorius* ſeptimus, qui aliàs *Hildebrandus* appellabatur, [a] anno circitèr 1073. in pontificatum adſcitus, profanum iſthuc & inauditum facinus, aduerſus *Henricum* quartum Imperatorem, primus attentauit.

[a] *Bellar: in Chr.*

Lego, & relego (inquit [a] *Otho Friſingenſis*, ſcriptor ætate proximus *Hildebrando*) *Romanorum Regum, & Imperatorum geſta; & nuſquam inuenio quenquam eorum, ante hunc, à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatu.* Et certè infœlici eorum hominum exitu, qui in Imperatore iſto abdicando primas tenebant, facilè terreri poterant

[a] *Lib. 6. cap. 35.*

Episcopi Romani, ne eiusmodi furiosis conatibus in posterum se immiscerent. Etenim *Rodulphus Sueuiæ* Dux, quem (hortatu *Gregorij* septimi) nonnulli Principes *Germaniæ* imperij riualem constituerant, dum aduersus *Henricum* quartum Imperatorem dimicabat, manu suâ dextrâ truncatus est; ex quo quidem & alijs vulneribus quum iam miseram animam efflaturus esset, [p] *abscissam dextram intuitus ad Episcopos, qui fortè aderant grauiter suspirans dixit; Ecce hæc est manus quâ Domino meo Henrico fidem sacramento firmaui.* Sed & ipse *Hildebrandus*, dum Imperatori huic deijciendo totus incubuit, Romanorum suorum voto & suffragijs [*] Pontificatu deiectus est; tandemque [q] *in extremis positus, ad se vocauit vnum ex Cardinalibus, quem multùm diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & sancto Petro, & toti Ecclesiæ, se valdè peccâsse in pastorali curâ, quæ ei ad regendum commissa erat; & suadente Diabolo contra humanum genus iram & odium concitâsse:* Quippe facinus isthuc *Hildebrandi* quo *Henricum* imperio priuauit, instar turbinis alicuius aut procellæ, [r] *tot mala, tot schismata, tot tàm animarum quàm corporum pericula inuoluit; vt solum* (quod ait *Otho Frisingensis*) *ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate, ad humanæ miseriæ infœli-*

[p] *Vrspergens. anno 1080.*

[*] *Sigebert. anno, 1084.*

[q] *Sigebert. ad annum 1085.*

[r] *Lib. 6. ca. 36.*

infœlicitatem sufficeret comprobandam.

PHILALETHES. *Egregium verò ac nobile par exemplorum; quorum vtroque illud Sapientis dictum comprobatur* : [f] Time Dominum & Regem : & cum seditiosis ne commiscearis; quoniam repentè consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit ? *At enim vniuersâ hâc dissertatione id tantùm egisti, vt priori illi potestatis Regiæ principio fidem faceres, quòd nimirum,* autoritatem suam soli Deo acceptam referens, superiorem, qui in ipsum animaduertere possit, excepto Deo, neminem habeat. *Cupio iam vt secundo parem operam impendas, quo asseritur,* vinculum illud officij, quo Maiestatis suæ subditi ad ipsum tenentur, perpetuum esse, soluique sine piaculo non posse.

[f] Prou. 24. 21.

THEODIDACTVS. Præcipuæ rationes, ex quibus seditiosi filij *Belial* sacratissimum isthuc fidelitatis vinculum solui posse contendunt, vel ad Principum personas spectant, grauiore aliquo crimine notatas, cuiusmodi sunt, *Tyrannis, Infidelitas, Hæresis, Apostasia;* vel ad Episcopi Romani iudicium atque sententiam, qualia sunt, *Dispensationes, Excommunicationesque,* ab ipso denunciatæ.

PHILALETHES. *Et quî tandem probas subditorum obsequium non tolli immoderatâ Principum sæuitiâ ac tyrannide ?*

THEODIDACTVS. Quid? Annon *Saul* manifestam exercuit tyrannidem, quum [t] *insidiatus est animæ Danidis*, eiusque [u] *vitam quæ fuit*, [x] *qui in omnibus seruis suis fidelis extiterat*, quemque ipse tandem confessus est, [y] *bona sibi pro malis tribuisse?*

[t] 1 Sam. 24. 12
[u] 1 Sam. 22. 23.
[x] 1 Sam. 22. 14
[y] 1 Sam. 24. 18

Annon idem supra modum sæuus, & crudelis, quùm nullâ in re læsus, aut lacessitus, *Doego* mandauit, vt [z] *irrueret in Sacerdotes Domini, & trucidaret octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.* Nobe *autem ciuitatem Sacerdotum percuteret in ore gladij; viros, & mulieres, & parvulos, & lactantes, bouemque, & asinum, & ouem in ore gladij?*

[z] 1 Sam. 22. 18, 19.

Tot certè Innocentium sanguis, tam crudelitèr effusus, non potuit non diuinam inclamare vindictam; vtpote cui mors ipsa debebatur, ex speciali Dei lege & mandato [*Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.*] Veruntamen *Dauid*, homo minimè priuatus, aut plebeius; sed ipsius Dei iussu designatus ad regnum, sed exercitus Regij dux & antesignanus, sed Regi denique ipsi affinitate coniunctissimus, quùm *Saulem* veluti constrictum manibus teneret, eique suaderetur à seruis, vt comprehensum interficeret, ita illis respondit: [a] *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam*

[a] 1 Sam. 24. 7.

tam manum meam in eum, quia Christus Domini est: posteáque ipsi *Sauli*, [b] *Ab impijs* (inquit) *egredietur impietas*; *manus ergo mea non sit in te*. Et rursum *Abishaio*; [c] *Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Hanc *Dauidis* erga *Saulem*, *Israelitæ* erga *Israelitam*, pietatem & obseruantiam, quo Christianis ipsis commendatiorem reddat, elegantèr describit [d] *Optatus*. *Occasionem* (inquit) *victoriæ Dauid habebat in manibus: incautum & securum aduersarium sine labore poterat iugulare; & sine sanguine & conflictu multorum, poterat bellum mutare in cædem: & pueri eius, & occasio suadebant: ad victoriam opportunitas hortabatur. Stringere iam cœperat ferrum; ire iam cœperat armata manus hostiles in iugulos: sed obstabat plena diuinorum memoria mandatorum: hortantibus se pueris, & occasionibus contradicit; tanquam & hoc diceret: Sine causâ me, victoria, prouocas; frustrà me in triumphos inuitas: Volebam hostem vincere; sed prius est diuina præcepta seruare: Non, inquit, mittam manum in vnctum Domini: Repressit cum gladio manum; & dum timuit oleum, seruauit inimicum.*

PHILALETHES. *Videtur sanè ipso Seruatoris decreto satis expressè cautum, ne eorum, qui inimicè nobiscum agunt, capiti aut fortunis insidiemur.* [e] Diligite *(ait ille)* inimicos vestros;

[b] *Ibid. ver.* 14

[c] 1 Sam. 26.9.

[d] *Lib. 2 aduers. Parmenianum.*

[e] Mat. 5. 44.

ſtros ; benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.

THEODIDACTVS. Enimverò *decretum* illud, ſiue *mandatum* Chriſti iure appellas. Ipſa præfatio, quâ iſthîc vtitur, [Ἐγὼ λέγω ὑμῖν, hoc eſt, *ego vobis edico, ſtatuo, decerno*] ſatis eſt ad vim legis ſtabiliendam : quod verò proximè ſequitur [*vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt*] ad alendum obſequij ſtudium, quod huic legi debetur, ſummam habet efficaciam. Quantumuis ergo Reges & Principes immanitate, ſæuitiâ, aut tyrannide ſe nobis inimicos præſtiterint, quemadmodum olim *Saul Dauidi* (de quo loquens *Abiſhai*, [f] *Concluſit*, inquit, *Deus inimicum tuum in manus tuas*) ijs tamen & animo [g] bene velle, & lingua benedicere, & reipsâ benefacere oportet. Si enim iſta pietatis officia priuato cuilibet ex Seruatoris mandato debeantur ; multò magis eadem Principibus, Magiſtratibuſque, qui publicam perſonam ſuſtinent, tribuenda ſunt. Quocircà vas illud electum, *D. Paulus*, monens vt [h] *obſecrationibus, orationibus, poſtulationibus*, cuiuis hominum ſtatui benè precemur ; illicò meminit *Regum, atque omnium qui in ſublimitate conſtituti ſunt*, tanquam eorum, qui peculiari quodam modo precibus noſtris eſſe

[f] 1. Sam. 26. 8.

[g] *Saluator tria præcipit inimicis exhibenda : quorum primum diligere, ad Cor pertinet, Secundum nempe Benefacere ad Opus, tertium Benedicere 1. benè precari & orare ad linguam. Ianſen. ca. 40. Concord.*

[h] 1. Tim. 2. 1.

esse debeant apud Deum commendati. Similiter & [1] *Tertullianus*, quùm docuisset, homines, Christianæ philosophiæ instituto, *malè velle, malè facere, malè dicere, malè cogitare de quoquam ex æquo vetari*; ex illo colligit; *quod in neminem licet, eò forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est, licere*, hoc est, in Imperatorem.

[1] *Apologet. cap. 36.*

PHILALETHES. *De quo tandem Imperatore loquitur* Tertullianus?

THEODIDACTVS. De *Seuero*, vti arbitror; eius enim sub imperio *Tertullianum* floruisse testis est [1] *Hieronymus*.

[1] *in Catalogo.*

PHILALETHES. *Numquid is inter Tyrannos numeratur?*

THEODIDACTVS. Planè & Tyrannus fuit, & infidelis, & Christiani nominis hostis acerbissimus, qui ecclesiam [m] *quintâ post Neronem persecutione excruciauit.*

[m] *Oros. at Baro. anno Christ. 205. sæuissimâ persecutione.*

PHILALETHES. *Video itaque*, Tertulliani *sententiâ, non modò non Tyrannide, sed ne eâ quidem cum Infidelitate coniunctâ, solui illud obsequij vinculum, quod Principi à subditis debetur.*

THEODIDACTVS. Isthuc verò ab autore cum antiquiori, tum magis idoneo, quam fuit *Tertullianus*, beatum Apostolum *Petrum* intelligo, facilè didiceris. Hic priorem suam epistolam conscripsit [n] imperan-

[n] *Baro. tom. 1. anno 45.*

te *Claudio*; eamque inscripsit contribulibus suis Iudæis, per [o] *Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam* dispersis; quæ tum regiones imperio Romano erant subiectæ: Etenim multis ante *Claudium* annis [p] *Pompeius Magnus* eas in prouinciarum formam redegerat.

Et quia seductores nonnulli (teste [q] *Iosepho*) libertatis tuendæ specie id egerant apud Iudæos, ne *Cæsari* tributum soluerent; neue mortalis cuiusquam imperium aut dominatum ferrent, tanquam qui soli Deo essent subiecti: Proinde eos hortatur *Petrus*, vt ita se *liberos* gerant, [r] *non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem, sed sicut serui Dei, vt Deum timeant*, sed & *Regem honorificent*; & quanquam Magistratus ipsi homines sint, eorumque institutio, propterea quòd hominum personis adhæreat, *humana* dicatur *creatura*; ijs tamen [s] *subiecti sint propter Deum*, à quo primò suam traxerunt autoritatem.

PHILALETHES. *Fieri non potest, vt Rex ille quem* honorandum *suadet* D. Petrus, *cuique* vt præcellenti *fratres suos Iudæos subiectos esse vult, alius fuerit quàm Imperator ille* Claudius, *quo (vt dixisti) imperante, suam* Petrus *conscripsit epistolam, eamq́ incolis* Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ,

[o] 1. Pet. 1.

[p] Sigon. Cõm. in lib. 2. Sulpitii.

[q] Iudaic. Antiq. lib 18. Cap. 1. & lib. 2. de Bello Iudaic. Cap. 12.

[r] 1. Pet 2. 16. 17.

[s] ibid v. 13

niæ, *quæ omnes Romanæ ditionis erant, inscripsit. Hunc autem Imperatorem iure optimo Regem appellare potuit, quùm* [t] Appiani *testimonio satis constet Romanos Imperatores* ἔργα τὰ πάντα βασιλεῖς *extitisse.*

[t] *Præfat. historiæ.*

THEODIDACTVS. Rectè id quidem & verè colligis: Itaque fatendum est Apostolum *Petrum* (quum [u] ipse iam *Romæ* esset) Iudæos fratres suos hîc illîc dispersos, hortatum esse, vt profano Infideli, eidemq; Tyranno crudelissimo, subijcerentur. Etenim superstitiones ethnicas & idolorum cultum *Claudius* iste tam studiosè fouit, vt, [a] vel minimo viso prodigio, supplicationes instituerit more maiorum: Tam verò ipsâ [b] *naturâ sævus, & sanguinarius* extitit, vt *tormenta quæstionum, pœnasque parricidarum coràm exegerit.* [c] *Salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus & acerbissimos,* nullo habito sexus aut ætatis discrimine: [d] *Gladiatorum (quos fortè prolapsos iugulari iusserat) expirantium facies* summâ cum voluptate solitus est intueri. [e] *Libidinis in fœminas profusissimæ fuit:* [f] *Libertis & vxoribus tàm miserè addictus, vt compendio cuiusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus sit.* Huic tam infideli, tam immani, tam flagitioso Domino vt obedientiam præstent,

[u] *Baro. anno 45. Rhem. in tab.*

[a] *Suet. cap. 22.*

[b] *Idem cap. 34.*

[c] *Idem cap. 35.*

[d] *Idem cap. 34.*

[e] *Idem Cap. 33*

[f] *cap. 29.*

Iudæos fideles Apostolus sedulò ac seriò hortatur.

PHILALETHES. *At quam tandem obedientiam? eamne quæ specie duntaxat externâ & simulatione constat? aut quæ vi & necessitate coacta, etiam à nolentibus præstari solet?*

THEODIDACTVS. Nequaquàm verò: Nam & *D. Paulus* ad *Romanos* scribens, qui sub [g] eodem vixerunt Imperatore, iubet [h] *omnem animam potestatibus sublimioribus subiici*, idque [i] *non solùm propter iram*, aut vim, aut metum, *sed etiam propter conscientiam*; eò quòd [l] *Dei ordinatio* sint, & *Ministri Dei*: Atque hoc illud est, quod idem alibi monet Apostolus, vt [m] *obediamus Domino, ex simplicitate cordis; tanquam Deo, non hominibus placere cupientes.*

Hæc sacra & cœlestis Apostolorum doctrina, ne piorum animis aliquandò elaberetur, summâ semper diligentiâ ab Ecclesiæ primitiuæ patribus inculcata est. *Iustinus Martyr*, Christianorum omnium nomine *Antoninum* Imperatorem infidelem, & [n] persequutorem alloquens: [o] *Nos*, inquit, *solum Deum adoramus, & vobis in rebus alijs* (non coacti, sed) *lati inseruimus.* Similiter *Augustinus*: [p] *Potestates quæ sunt, à Deo ordinatæ sunt: Hinc est vt gentilem in potestate tamen positum honorificemus, licet ipse indignus sit,*

g Rhem. in tab. Paul.
h Rom. 13 1.
i ver. 5.
l vr. 2. & 4.
m Coloss. 3. Ephes. 6.
n Persecutio quarta sub Antonino Bellarm. in Chronol.
o Apol. 2 ad Anton. Imp.
p Quæst ex vet. Test. cap. 35.

sit, qui Dei ordinem tenens, gratias agit Diabolo: Poteſtas enim exigit, quia meretur honorem, vtpote à Deo ordinata.

PHILALETHES. *Quod ſi infidelitas ad ſubditorum erga Principes officium infirmandum non valeat; quid de hæreſi ſaltem & apoſtaſiâ ſentiendum eſt?*

THEODIDACTVS. *Conſtantius* certè, *Valens*, & *Valentinianus Iunior*, Arianorum hæreſin palàm & apertè fouebant: nec tamen legimus, ijs, ab Orthodoxâ Chriſtianorum parte, tanquam iniuſtè imperantibus, renunciatum. Quod verò deterius eſt, *Iulianus*, q *nonne extitit Apoſtata, iniquus, Idololatra? tamen milites Chriſtiani ſeruierunt huic Imperatori infideli; & quando dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant.*

q Auguſt. in Pſal. 124.

PHILALETHES. *Sunt qui iſthuc pro temporum ratione factum eſſe dicant, quòd vires ijs ad reſiſtendum deeſſent.*

THEODIDACTVS. Immò ad reſiſtendum vires deeſſe non poterant, quandoquidem maxima pars exercitus *Iuliani* Chriſtiana permanſit; id quod ipſo defuncto facilè patuit ex communi militum voce ad *Iouinianum* eius ſucceſſorem. Quum enim conſpirantiſſimis omnium votis hunc ad imperium elegiſſent; ipſeque, quòd eſſet

Christianus, se nolle diceret hominibus Ethnicis & paganis imperare; [r] *Omnes vnâ voce confessi sunt se esse Christianos.* Quapropter non est credendum viros hosce fortissimos Apostatæ propterea obtemperâsse, quòd ei viribus inferiores essent, eoque impares ad resistendum; sed potiùs (quod ait [s] *Augustinus*) *subiectos fuisse, propter Dominum æternum, Domino temporali*, illiusque mandato ad huius obsequium impulsos.

[r] *Russin lib. 2. hist. cap. 1.*

[s] *In Psalm. 124.*

Iam si ex officij sui conscientiâ teneantur subditi, vt ipsis Tyrannis, Infidelibus, Hæreticis, Apostatis, qui principatum modò obtinent, alacres & læti inseruiant: quâ demùm propensione animi, quo ardore & studio, nos optimo pientissimoque Regi nostro par est obtemperare! Optimum dico, quòd, ipsius Dei simillimus, cuius vices in terris obit, opera sua omnia clementiâ & misericordiâ suauissimè perfundat; Pientissimum verò, quod fidem antiquam & Catholicam, non Regiâ modò authoritate, sed & *calamo scribæ velociter scribentis*, constantissimè tueatur, ac defendat.

Et tamen is est nonnullorum hominum Romanâ superstitione occœcatorum stupor, & amentiâ; vt prætensis quibusdam actibus Episcopi Romani, *Dispensationibus* putà aut *Excommunicationibus*, ab officio, quod

quod tam pio & moderato Principi debent, facilè se patiantur abduci.

PHILALETHES. *Non ergo licet Episcopo Romano, vel ipsi legi quæ obedientiam exigit à subditis, vel iuramento quo ad eam præstandam se ipsi sponte obligârunt, dispensationem aliquam accommodare, quæ vtriusq; vim tollat, aut eneruet?*

THEODIDACTVS. Primùm id certò tenendum est: ius naturale nullam Episcopi Romani dispensationem admittere; quippe quod [t] *ab exordio rationalis creaturæ, immutabile permaneat:* Deinde neque legem Dei moralem; [u] *cuius præcepta sunt omninò indispensabilia.* Atqui verò officia subditorum erga Principes, cùm ab ipso naturæ iure deriuantur, & communia nobiscum habent incunabula (sicut enim *filij*, ita & *subditi* nascimur, quorum illud sanguini à quo, hoc territorio in quo nascimur, tribuendum est) tum etiam morali Dei lege præcipiuntur, præsertim vero quinto illo præcepto Decalogi. (cuius initio huius sermonis meministi:) eo enim iubemur, vt priuatæ cuiusque familiæ, ita multo magis patriæ totiusque regni *parentibus* meritum honorem, obedientiamque deferre. Et quemadmodum leges illæ, quæ hanc nobis obedientiam præcipiunt, ita & iuramentum, quo ad eandem

[t] *Aquin. 1. 2. qu. 94. art. 5.*

[u] *Idem 1. 2. qu. 100. art. 8.*

eandem præstandam obligamur, omnem prorsus respuit Episcopi Romani dispensationem. Quid enim ? si *Dauidis* tempore Episcopus Romanus eam, quâ nunc vtitur, potestatis plenitudinem obtinuisset ; potuitne iuramentum illud irritum facisse, de quo ipse gloriatur, [x] *Iurauí & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ ?* Pari ratione, siquis hoc tempore, *Dauidem* imitatus, iureiurando confirmauerit, se mandata iustitiæ diuinæ, *de non mœchando, de honorandis parentibus magistratibusq; obseruaturum*; dispensando certè Pontifex efficere non potest, quin ea violans tam rebellionis, quàm adulterij reus teneatur.

[x] *Psal.* 118. *v.* 105.

PHILALETHES. *Annon ergò plus potest* excommunicando *Pontifex Romanus ad fidelitatis vinculum soluendum, quam* dispensando *illum posse affirmas ?*

THEODIDACTVS. Vtriusq; teli vis, si ad hoc collimetur, æquè cassa est & irrita. Quippe *Excommunicatio* vel ob contemptum Ecclesiæ denunciata, hominem *Ethnico* deteriorem non reddit: Iam verò Apostolos *Petrum Paulumque* audiuisti seriò hortantes, vt Principibus ethnicis & paganis obsequium præstemus; quocirca idem excommunicatis denegandum non est. Ad hæc (si ipsa [a] Pontificiorum placita consulamus)

[a] *Aquin. in Sup. quæst.* 23. *Tolet. Inst. Sacerd. li.* 1 *cap.* 9.

lamus) excommunicatio nec seruum dominii, nec filium patris iuri, aut potestati eximit: Atqui Reges instar dominorum sunt, ijsque subditi, vt serui; (sic enim *Dauid Saulem* [b] dominum suum, seque ipsius [c] *seruum* appellat:) Item Reges instar patrum sunt, ijsque subditi vt filij: (sic enim [d] *Hezekias* ipsis *populi patribus*, hoc est, sacerdotibus, *pater* est habitus; eoque magis in reliquam subditorum multitudinem idem iuris obtinuit:) Quemadmodum itaque filiorum erga patres officium, seruorumque erga dominos ministerium, excommunicatione non tollitur; ita subditorum erga Principes fides & obsequium, eâdem vel centiès repetitâ, minimè laxatur. Atque ita demùm satis liquidò probaui, nec illa, quibus Principum personæ interdum onerantur, crimina, *Tyrannidem* dico, *Infidelitatem*, *Hæresin*, *Apostasiam*; nec etiam *Dispensationes*, *Excommunicationes*, cæteraque id genus censuras Episcopales, eoque reuerâ nihil, subditos à fide & obseruantiâ, quam Principibus suis debent, præstandâ, posse liberare.

[b] 1 Sam. 24. 11.

[c] 1 Sam.

[d] 2 Paral. 29. Debora Mater in Israel. Iud. 5. 7.

PHILALETHES. *Nihil, inquis? Existimârâm sanctissimum, quod vocant*, Confessionis sigillum, *subditos saltèm aliquos, hoc in genere, nonnullâ sui officij parte potuisse exoluere*;

uere ; putà Sacerdotes, ne coniurationes proditionesque tenerentur detegere, quas vt spirituales animarum medici ex pœnitentibus cognouissent. Si enim coniuratio aliqua Sacerdoti per confessionem innotuerit, ipsa Sacramenti ratio postulat vt tegatur ; quippe quod hâc in re [c] *Sacerdos Dei vices sustineat, nec aliter, quàm ipse Deus, humiles ac deuotas peccatorum confessiones audiat.*

[c] *Aquin. in Sup. qu. 11. art. 1.*

THEODIDACTVS. Si proditiones, aliaque id genus flagitia, quæ Ecclesiæ, Reiue publicæ cladem minantur, Sacerdotes, Dei loco, & vice cognoscant : oportet sanè, vt ea tempestiuè detegendo, ipsum Deum, cuius vicarij videri volunt, imitentur. Solet enim Deus peccata grauia, clamantiaque, tametsi occultè perpetrata, è tenebris eruere ; quæque diu latuerunt, miris tandem modis, ac veluti semetipso indice, in lucem proferre.

Ibycus vt periit vindex fuit auolãs gens Auso.

Annon is cædem *Ibyci* solo auium ministerio patefecit ? Quia verò Principum personæ sacratiores sunt, quàm cæterorum hominum, pluriſque apud Deum fiunt ; idem speciali quodam pacto & promissione se recepit *maledicta* aduersus *Reges*, vel corde solùm, & cogitatione concepta, per [f] *volucres cæli* evulgaturum : hoc est, nouo potiùs & mirabili vsurum indicij genere, quàm vt ea penitùs celari patiatur. Itaque non defuerunt

[f] Eccl. 10. 20.

runt olim ex Sacerdotibus *Gallicanis*, qui proditionis consilia solà mente agitata, nec aliàs quàm per confessionem in auras prolata, detexerint; ex quo ipsorum confitentium supplicium extremum insecutum est. [g] Nobilis quidam *Normannus*, quùm propositum habuisset Regem *Franciscum* occidendi, posteáque mentem mutâsset, consilium illud suum fratri cuidam *Minoritæ* inter confitendum aperuit. Is pœnitenti quidem veniam, & absolutionem concessit; intereà rem totam ad Regem detulit; quâ cum Iudicibus Curiæ *Parisiensis* communicatâ, rogatisque sententijs, reus ipse capitis damnatus est, Sacerdote, qui denunciauerat, nullà violati sacramenti pœnâ ab Ecclesiâ mulctato.

g Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 5.

Quapropter Sacerdotes, dum pœnitentium confessionibus intersunt, Dei quidem vice funguntur, non vt si quid Reipub. perniciosum audierint, id tacendo supprimant; sed vt peccatis hominum, quâ Deum lædunt, eiusque tribunali reddunt obnoxios, remissionem veniamque annuncient; tanquàm memores diuinæ illius legationis, atque promissi [h *Quorum peccata remiseritis, remittuntur eis.*]

h Ioan. 20. 23.

PHILALETHES. *At verò sollenni Ecclesiæ lege præceptum est Sacerdotibus, vt, quæcunque*

cunque hominum peccata ex confessionibus intellexerint, ea, tanquam sacra Cereris, *aut* Bonæ Deæ, *religiosissimè taceant.*

THEODIDACTVS. Quam Ecclesiæ legem dicis, ea nihil aliud est, quàm [l] *Innocentij tertij* constitutio, decretalibus inserta: (nec enim antiquiori autore possunt [l] *Romanenses* suum illud *Confessionis sigillum* vendicare:) Verùm fac illam totius Ecclesiæ autoritate fuisse sancitam; haud plus tamen efficies, quàm vt lex Ecclesiastica censenda sit. Iam si officia nonnulla, quæ ab ipso Deo exiguntur in lege *Morali*, (quale est illud, *ne faciamus opus aliquod in die Sabbati*) ex [m] Seruatoris nostri sententiâ, iure possint omitti, ad vitam inmenti conseruandam: Nos *Ecclesiasticarum* legum tam tenaces erimus, vt potiùs quàm ijs quicquam detractum velimus, ipsam Regis, eorumque omnium, qui à Rege pendent, vitam ac salutem manifesto periculo exponamus? Quamobrem neque hoc sacro Confessionis sigillo tribuendum est, vt ab aliquâ nos officij parte, quod Regiæ Maiestati aut debemus, aut vouimus, iure possit abducere.

PHILALETHES. *Si fidelitatis vinculum, quod subditis cum Principe est, tam sanctum firmumq; sit; vt nullâ re solui, ne Confessionis quidem sigillo, possit; quo tandem modo immoderata*

[l] *c Omnis vtriusq; de Pœniten & Remiss.*
[l] *Vide Valentia. Tom. 4. disp. 7. quæst. 13 p. 1.*
[m] *Matth. 12. 11.*

derata Regum tyrannidi occurrendum est? Nullane restat ratio ipsorum furoris cohibendi, si fortè eò impietatis prolabantur, & insaniæ, vt Ecclesiam ipsam penitùs opprimere conentur, sanctissimumq; Christianæ religionis lumen extinguere?

THEODIDACTVS. Fieri quidem potest, vt Principes furore concitati totius Ecclesiæ ruinam & interitum meditentur: sed frustrà! quippe illam Christus [n] *ædificauit super petram*, itaque aduersus *inferorum portas* communiuit, vt oppugnari fortasse possit, expugnari certè, penitusque vinci non possit. Interim si Principes ad hoc tam nefarium facinus vires suas & arma conuertant; non alia nobis ratio ineunda est, quàm vt peccata nostra seriò deploremus, quæ huic nos obiecerunt calamitati; precesque ad Deum sedulò fundamus, qui [o] *corda Regum, sicut diuisiones aquarum, quocunque voluerit, inclinat.* Meministi satis Ecclesiam visibilem, ante aduentum Christi, solâ *Iudæorum* gente fuisse conclusam; qui sub imperio Persarum captiui dum agerent, prodijt edictum Regis *Assueri*, ab *Hamane* compositum, vt [p] *occiderentur atque delerentur omnes Iudæi, à puero vsque ad senem, parvuli & mulieres vno die.* Hîc itaque vniuersa proles Ecclesiæ mortis faucibus teneri quodam-

[n] Math. 16. 18.

[o] Pro. 21. 1.

[p] Hest. 3. 13.

modò videbatur. At quid illi? Non seditionem mouent, non ad arma conuolant, non *Assuerum*, aut *Hamanem* veneno tollendi consilium capiunt, non ad libertatem suam vindicandam licarios quærunt, & parricidas: Hoc tantùm videris, [q] *in omnibus prouincijs ac locis, ad quæ crudele Regis dogma peruenerat, planctum ingentem, ieiunium, vlulatum, & fletum, sacco & cinere multis pro strato vtentibus*, quò sub potenti manu Dei semetipsos humiliarent, iramque eius per immanem Tyranni sæuitiam iam tùm sibi imminentem auerterent.

q Hest. 4. 3.

Atque hâc quidem in re, prout occasio tulit, *Iudæos* Christiani veteres sunt imitati. Quùm *Iulianus* Apostata, totius Christiani nominis cladem atque internecionem minaretur; [r] *inhibitus, atque repressus est, Christianorum lacrymis, quas multas multi profuderunt, hoc vnum aduersus persequutorem medicamentum habentes.* Si qui ergò supremorum Magistratuum tyrannide se oppressos sentiant, ij (monente *Sarisburiensi*, homine inter crassissimas Papismi tenebras educato) [s] *ad patrocinium elementiæ Dei humiliati confugiant, & puras manus leuantes ad Dominum, deuotis precibus flagellum, quo affliguntur, auertant: Peccata enim delinquentium, vires sunt Tyrannorum.*

r Nazianz. orat. 1. in Iulian.

s Lib. 8. c. 23.

PHILA-

PHILALETHES. *Isthuc verò, vt in hoc ſæculo ab iniurijs hominum & tyrannide immunes ſimus, inter beneficia Dei temporalia ponendum eſt ; quæ dum petimus, ſæpenumerò fit, vt Deus pro ſuâ prudentiâ votis noſtris minimè reſpondeat. Ecquid igitur eſt, quo ſubditi pij ac fideles aduerſus immanium Tyrannorum ſæuitiam ſe poſſint interea confirmare ?*

THEODIDACTVS. Vnicum illud hoc in genere reſtat ſolatium, de quo iam olim meminit *Auguſtinus* : [b] *Sentitur* (inquit) *virga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum ; ſed non in æternum. Veniet tempus, quando vnus agnoſcatur Deus ; Veniet tempus, quando vnus Chriſtus, in claritate ſuâ apparens, congreget ante ſe omnes gentes, & diuidat eos, ſicut diuidit Paſtor hædos ab ouibus : oues ponet ad dextram, hædos ad ſiniſtram : Et videbis ibi multos ſeruos* & ſubditos *inter oues, & multos dominos* ac Principes *inter hædos : & rurſus multos dominos* ac Principes *inter oues, & multos ſeruos* & ſubditos *inter hædos.* Quapropter ſi nihil humani reſtet auxilij, ſperandum tamen eſt, extremum hunc diem iudicij, qui rerum omnium caducarum finis atque exitus futurus eſt, piorum quoque lacrymis & dolori hâc ex parte finem allaturum.

[b] In Pſa. 124.

PHILALETHES. *Ergo iſte, ſi placet, rerum omnium terminus, noſtrum hîc claudat ſermonem :*

monem : si priùs Deum orauerimus, vt ita frequenti ac seriâ huius iudicij meditatione, cùm Principum tum subditorum corda velit afficere; vt & illi imperantes, & isti parentes, & vtrique, quod suum est, facientes, vocem Archangeli sentiant cum Hieronymo *auribus semper intonantem,* [u] Surgite mortui, venite ad iudicium.

(***)

[u] *Hieron. de reg monach cap. 30.*

C 14415+X
#61871
SL

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION